

NARRATIUNCULAE

PUERI

MALE MŌRATI


(Lausbubengeschichten)

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit


NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

ARGUMENTA

CAPUT	TITULUS ORIGINALIS	TITULUS LATINUS	EPISTULA LEONINA n., pp.	BIBLIOTHECA LEONIS LATINI pp.
I	Gretchen Vollbeck	De Gretulâ Vollbeck	144, 4-12	4-7
II	Meine erste Liebe	De primo amore meo	145, 7-14	8-11
III	Der Meineid	De periurio	205, 15-22	12-15
IV	Onkel Franz	De avunculo Francisco	218, 7-10	16-17
V	Der Kindlein	Magister Puellulus	155, 4-16	18-23
VI	In den Ferien	Feriis quae facta sint	164, 14-23	24-28
VII	Die Verlobung	Sponsalia	169,13-19	29-31
VIII	Die Vermählung	Nuptiae	173, 12-20	32-36
IX	Das Baby	De infantulo	220, 13-18	37-40
X	Gute Vorsätze	Bona proposita	226, 7-15	41-44
XI	Der vornehme Knabe	De puero honesto	242, 22-31	45-50
XII	Besserung	Melioratio	252,18-26	51-55
XIII	Tante Frieda	Amita Frida	280, 88-100	56-66
XIV	Die Indianerin	De puellâ Indianâ	287, 9-17	67-72
XV	Franz und Cora	De Francisco et Corâ	291, 104-110	73-79



LUDWIG THOMA

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimê calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi systema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male môrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.



Narratiunculae pueri male morati

Iuvenis quae expertus sim

Capitulum primum

De Gretula Vollbeck

Ex conclavi meo poteram prospicere in hortum Vollbeckianum, quia pars domûs nostrae postica directa erat in Angiportum Frumentarium.

Cum post meridiem pensa mea domestica faciebam, videbam Consiliarium *Vollbeck* cum uxore cafeam bibentem sedere, necnon omne ferê verbum ab iisdem dictum audiebam.

Ille semper interrogabat: »Ubinam tam diu versatur Gretula nostra?«, illaque omnibus diebus respondebat: »O Deus, misera puella non desinit studere rebus discendis«.

Equidem illo, sicut hôt tempore, omnino non intellexi, cur aliqui homo libenter studeret rebus discendis ideoque a cafeâ bibendâ aut ab aliâ quavis re averteretur. Tamen in hac re vehementer stupebam, sed hoc numquam confitebar.

In gymnasio saepius colloquebamur de *Gretulâ Vollbeck*, eamque numquam defendebam, si quis declaraverat istam esse beluam taediosam, quae iactaret se esse doctissimam.

Domi quoque aliquando contemptim locutus sum de hac puellulâ, quam verisimile esset nullum tibiale scire acu texere capitique suo quasvis res inculcarent.

At mater mea sermonem meum interrupit adnotans futurum fuisse, ut ipsa Deo gratias ageret, si quidam homo dimidio tanto sedulus esset, quanto sedula esset illa puella ingeniosa, quae parentibus suis nihil nisi gaudium compararet certoque numquam testimonia scholaria domum secum afferret tam contumeliosa.

Oderam autem tales allusiones personales ideoque in colloquiis evitabam istud thema iniucundum.

At mater mea e contrario hoc odium minus respiciens saepe me monebat, ut exemplum mihi sumerem ex Gretulâ Vollbeck.

Quod cum non facerem, die Paschali testimonium domum attuli, quod fuit peius, quam ut monstraretur cognatis proximis.

Dictum est mihi periculum esse, ne proximis diebus sutori traderer tirocinium subiturus, et cum hanc honestam artem fabrilem nequaquam recusavisset, hac quoque de causâ vehementissimê vituperabar.

Dies secuti sunt mihi sat iniucundi, et domi nemo non studebat me ita tractare, ut vero gaudio diei festi carerem.

Tandem mater mea dixit se nullam rationem me ad vias meliores ducendi videre nisi commercium sermonum haberem cum Gretulâ.

Fortasse fieri posse, ut haec puella ad me vim haberet prosperam. Cum Dominus Consiliarius Vollbeck iam assensisset, oportere, ut post meridiem paratus essem ad illos transire.

Haec res mihi fuit iniucunda. Discipulus Latinitatis cum adhuc sis, non tam libenter conversaris cum puellis quam postea, et praeterea non sine causâ timui, ne quaedam res inter se contrariae verbis nimium efferrentur.

At quid facerem? Non potui, quin cum matre transirem.

Vollbeckii modo sedebant cafeam bibentes, cum nos vênimus. Gretula defuit, et Domina Consiliaria statim dixit: »O Deus, puella non desinit studere rebus discendis, necnon *scheologiae*«. Mater mea capitis motu nutavit tam gravis atque cogitabunda, ut reverâ cor meum pungeretur et me subiret carae anui gaudium parare. Dominus autem Consiliarius digitis mensam tamquam tympanam pulsans supercilia horribiliter subduxit. Deinde dixit: »Heus, heus *scheologia!*«

Nunc mater mea cum putaret tempus esse me paululo introducendi, me adhortans interrogavit: »Vosne quoque hanc disciplinam scientificam in classe vestrâ discitis?«

Domina Consiliaria Vollbeck subrisit, quod aliquis opinaretur aliorum hominum liberos talia quoque discere, et eius maritus me aspectavit oculis emissiciis; de hac re tam vehementer stomachatus sum, ut statuerem illos laedere.

»Haec disciplina« inquam, »nequaquam dicit *scheologia*, sed geologia, nec eadem in scholâ discitur«.

Non multum a fuit, quin me paeniteret hoc dixisse, cum viderem mater mea quantâ esset animi difficultate; eandem nescivi, an vehementer mei puderet, et eius oculi fuerunt lacrimosi, cum a Domino Vollbeck aspiceretur quadam cum misericordiâ dolorosâ.

Vetus iste asinus vultum torquebat multis modis, quorum omni expressit se vaticinari res meas futuras esse adversissimas.

Consiliarius me alloquens »Videris« inquit »opinari multas res non esse discendas. At testimonium tuum paschale dicitur non prorsus tale esse, ut domina mater tua flebilis contenta sit. Ceterum meâ aetate illam disciplinam licuit etiam pronuntiare *scheologiam*«.

His verbis dictis non tam percussus eram, quam Domino Vollbeck visus sum, sed tamen gavisus sum, quod advênit Gretula. Quae a parentibus suis vehementer salutata est, omnino aliter ac aliis temporibus, quibus ex fenestrâ meâ illos videbam. Nam illi voluerunt matri meae ostentare, quantâ laetitiâ fruerentur parentes liberorum bene môratorum.

En illam mulierculam macram longipedemque ibi sedentem, nares suas tantâ cum gravitate tantâque cum praecoci sapientiâ corrugantem, quasi numquam lusisset pupis crepundiisve.

Mamma Vollbeck interrogavit »Quid nunc? *Scheologiamne iam perdidicisti?*« meque vultu infesto aspectavit sciscitans, num fortasse auderem litem scientificam cum gente Vollbeckianâ incohatam filiâ praesente continuare.

Gretula autem respondit: »Hanc rem nondum finivi. Hôc vespere restant mihi nonnulla capitula pertractanda; haec materia est valdê delectabilis«.

Hoc dixit tantâ cum animi levitate, quasi esset geologiae profestrix.

Domina Consiliaria verba filiae repetivit: »Restantne nonnulla capitula?« eiusque maritus voce ludibriosâ declaravit:

»Ergo manifestum est illam disciplinam esse scientificam, quae necessario videatur discenda esse«.

Gretula cum duos panes palmares butyro oblitos teneret ore inclusos, tantummodo capite annuit, ut pausa interponeretur, in quâ mater mea nunc miram puellam aspexit admirans, nunc me conspexit aerumnosa.

Hôc modo effectum est, ut Domina Vollbeck recordaretur finem nostrae visitationis proprium.

Eadem: »Bona Domina Thoma« inquit, »secum adduxit Ludovicum suum opinata fieri posse, ut îdem tuâ ope aliquantulum progredi in scientiis discendis«.

Mater mea »Dominula enim Gretula« inquit »totâ in urbe bene nôta est propter industriam suam. Tot tantaeque laudes Dominulae cum audivissem, cogitavi eius ope fortasse admoneri posse Ludovicum meum. Qui enim aliquatenus retardatus est in laboribus exanclandis«.

Tum Consiliarius Vollbeck iterum me aspiciens oculis emissiciis: »Sat vehementer retardatus, cara Domina Thoma«.

»Ita est, aliquatenus vehementer. At ope Dominulae Gretulae, et ipse si matris gratiâ operam dederit, tamen bene fiet. Mihi quidem hoc firmê promisit, nonne, Ludovice?«

Certê hoc promiseram, sed a nemine commotus essem, ut coram istis hominibus repeterem promissum meum decôrûm. Equidem melius quam mater mea intimo ex animo bona atque integra, simplex atque aperta sensi istam familiam exemplarem moribus meis depravatis delectari. Interim panibus butyratis deglutitis filia docta visa est inclinata ad sententiam suam proferendam.

Eadem me interrogavit: »Quânam in classe tu es?«

»In quartâ sum«.

Tum puella: »Ergo tractatis« inquit »Cornelium Nepotem eiusque Vitam virorum illustrium«, quasi necesse esset me hoc a se demum accipere.

Domina Vollbeck interrogavit: »Scilicet te haec omnia iam legisse, Gretula?«

»Iam ante tres annos haec perlêgi. Hîc et illîc denuo Nepotem inspicio. Heri iterum lêgi vitam Epaminondae«.

Consiliarius digitis mensam pulsans tamquam tympanam: »Babae, ille Epaminondas« inquit, »certê eius vita est valdê delectabilis«.

Mater me interrogavit: »Tenesne hunc librum domi? Loquere, quaeso, paululum de eo cum Dominulâ Gretulâ, ut videat, quem locum libri assecutus sis«.

Ego autem mussitavi: »Nos omnino non lêgimus Epaminondam«

»Ergo legistis Alcibiadem aut similem. Scilicet Cornelius Nepos lectu perfacilis sit. At si reverâ assecutus eris classem quintam, imminebunt tibi difficultates«.

Statui, ut illam ulciscar propter illud »reverâ«, et clam iuravi ut proximam occasionem nactus illam mulcarem.

At nunc nihil feci nisi sêdi vultu contumaci nullo verbo loquens. Neque loqui potuissem, nam nunc ista muliercula quadamtenus intensa loquendo detendi coepit tamquam elater horologii lusorii.

Gretula matri meae nomina latina velocius iniectabat, quam ut illa miserrima respirare posset; puto istam puellam omnia verba sua eiecisse, ut, cum tandem loqui desineret, tota esset vacuefacta.

Atta et Mamma Vollbeck conati sunt puellam mirabilem tamquam elaterem iterum intendere, sed Gretula nunc non iam docendi cupida celeriter abiit, ut pergeret studere *scheologiae* discendae.

Nos taciti remansimus. Parentibus felicibus effectum, quem haec omnia habuerant ad matrem meam, considerantibus aequum atque iustum visum est, quod animus matris meae erat percussissimus.

Quae contristata Vollbeckiis valedixit mecumque hortum reliquit.

Domi demum mater denuo loqui valuit. Capite meo teneriter permulso: »Mi fili miserrime, ista perferre non poteris«.

Volui matrem consolari omniaque promittere, sed illa caput quassavit.

»Non, non, Ludovice, hoc non fiet«.

At tamen hoc factum est, quia soror mea paulo post connubio coniuncta est cum *Professore Bindinger*.

Capitulum secundum

De primo amore meo

Diebus Dominicis semper mihi licebat venire ad *Dominum de Rupp* apudque eum sumere prandium. Qui fuit vetus attae amicus venatorius et apud nos ei iam saepe contigerat, ut cervum feriret. Apud eum bellê me habebam. Qui mecum paene agebat tamquam cum domino et prandio finito semper mihi sigarum dabat dicens: »Quod certê bene patieris. Pater quoque tuus fumabat tamquam hamaxa vaporaria«. Tum ego eram valdê superbus.

Domina de Rupp domina erat tam vehementer nobilis, ut loquens ôs acueret theodiscum sermonem êdens superiorem. Quae me semper monebat, ne ungues roderem et ut verba bene pronuntiarem. Praeter eos aderat filia. Quae erat valdê pulchra et admodum bene fragrabat. At haec puella me non magni faciebat, quia quattuordecim demum annos habui, et illa semper loquebatur de saltationibus et concentibus musicis deque quodam cantore bellissimo. Interim narrabat, quae facta essent in scholâ bellandi. Puella haec audiverat e signiferis, qui eam visitabant acinacibus per scalas crepitantibus.

Saepe exoptabam, ut praefectus militum iam essem, ut puellae placerem, sed ea me tractabat tamquam puerum stupidum et semper turpiter irridebat me sigarum attae sui fumantem.

De hac re cum saepe stomacharer, amorem puellae supprimebam cogitans, si ego natu maior bello aliquo finito domum rediissem, fortasse fore, ut illa gauderet, sed ego nollem.

Hac re exceptâ cum apud Dominum de Rupp bellê me haberem, vehementer gaudebam omnem diem Dominicum et prandium necnon sigarum exspectans.

Dominus de Rupp rectorem nostrum cum bene novisset, saepe cum illo colloquebatur commemorans me sibi gratum esse cum familiâ suâ conversantem meque certê factum iri venatorem tam probum quam fuisset pater meus. At non puto me a rectore laudatum esse, nam Dominus de Rupp saepius mihi dicebat: »Sciat diabolus, quid tu agas. Videris mihi esse verus vulpio exsecrabilis, cum professores te tam vehementer vellicent. Cave ne modum excedas«. Attamen aliquando subito res quaedam accidit.

Haec res sic acta est. Quandocumque horâ octavâ matutinâ oecum classarium adibam, veniebat filia pedelli nostri, quia ea institutum frequentabat.

Quae puella erat valdê bella et habebat duos capillorum nodos, quibus affixae erant taeniae rubrae, et iam habebat mammas. *Raithelius* quoque amicus meus semper dicebat istanc puellam esse mirabiliter mammosam et sanê bellulum bacciballum.

Primo non ausus sum illam salutare; at semel cum ausus essem, illa vehementer erubuit. Animadverti autem illam me exspectare, cum retardatus essem. Puella enim ante domum consistebat et inspiciebat tabernam bibliopegi, usque dum venirem. Deinde cum puella comiter subrideret, statui, ut illam alloquerer.

At corde nimium palpitante id non assecutus sum; aliquando illam accessi propinquissimam, sed cum apud illam essem, nihil feci nisi screavi illamque salutavi. Nam fuerunt fauces meae rauciores, quam ut loquerer.

Raithelius autem me irrisit dicens non magnum esse inceptum iuenculae amorem petere. Se cottidie posse illarum alloqui tres, si cuperet, sed sibi omnes esse nimis stupidas.

De hac re multum deliberabam, ubicumque ab illâ aberam, sentiebam perfacile esse illam alloqui. Illam enim pedelli tantum filiam esse, meque quintae iam classis latinae discipulum. At ubicumque illam conspiciebam, res perquam mira erat neque fieri poterat, ut puellam alloquerer. Tum subiit mihi idea bona. Epistolium enim puellae scripsi. Me illam amare, sed timere, ne animus illius laederetur, si illam alloquerer amoremque meum confiterer. Si illi amor meus esset gratus, mucinnium ut manu gestaret idemque ut ori admoveret.

Hoc epistolium inserui Caesaris De Bello Gallico commentariis traditurus, si mâne illam reviderem.

At hoc fuit etiam difficilium.

Primo die omnino non conatus sum; postridie epistolium manu tenebam, sed illâ veniente celeriter inserui sacco bracarum.

Raithelius dixit tradendum mihi esse epistolium puellae et quaerendum, num illa idem amiserit. Hoc firmê mihi proposui, sed postridie illa vênit cum amicâ suâ, ideoque res denuo fieri non potuit.

Itaque animo miserrimo epistolium iterum inserui Caesari meo.

Ut me punirem propter ignaviam meam, mihi ipse in honorem meum pollicitus sum me nunc tandem illam allocuturum eique omnia confessurum insuperque epistolium traditurum.

Raithelius dixit mihi nunc esse agendum, nam alioquin me esse racam nequissimum. Hôc intellecto animo fui firmissimo.

At in scholâ subito vocatus sum, ut pergerem recitare. Cum autem de Mariâ cogitassem, ne capitulum quidem scivi, quo recitare desieramus, ut vehementissimê erubescerem. Professor, qui me semper in suspicionem vocaret, hoc animadvertens ad me accessit.

Ego autem rapidê folia libri pervolvens puero iuxta me sedenti calcem impegi. »Quonam loco stamus? Fac dicas tu turpissime!« Iste baburrus submissius susurravit, quam ut intellegerem, et professor iam fuit iuxta sedem meam. Tum subito epistolium cecidit ex meo Caesare, ut iacêret in pavimento.

Quod inscriptum erat chartae rosaceae et pulvere inspersum erat fragrantissimo.

Celeriter volui epistolium pede calcare, sed hoc non iam contigit. Professor enim dorso flexo epistolium sustulit.

Primo îdem me aspectavit oculis tam emissiciis, ut forfice possent resecari. Deinde epistolium aspiciens odorando perquisivit, tum lentê ex involucro exemit. Hoc faciens professor me etiam etiamque torpidioribus oculis aspectavit, ut appareret, quam vehementer gauderet, quod aliquid deprehendisset.

Primo magnâ voce recitavit coram totâ classe.

»Dominula amatissima! Iam saepe volui tibi appropinquare, sed non ausus sum, quia cogitavi fieri posse, ut animus tuus laederetur«.

Deinde professor vênit ad illum locum, ubi mucinnium commemoraveram, et tantummodo murmuravit, ne alii audirent.

Et deinde capite nutavit sursum et deorsum, et tum perquam lentê dixit:

»Miserrime, i domum. Cetera audies«.

Tam vehementer iratus eram de stultitiâ meâ, ut vellem libros meos parieti adicere. At cogitavi mihi nihil mali imminere. Nam epistolio nihil mali inscripseram: nihil nisi me amore captum esse. Hoc nequaquam spectare ad professorem.

Tamen res mihi evasit quam pessimê.

Postridie statim mihi eundum fuit ad rectorem.

Qui secum attulerat librum magnum, in quo omnia stenographavit, quae dixi. Primo me interrogavit, cui epistolium scripsissem. Dixi me hoc scripsisse nemini. Me hoc scripsisse tantummodo delectamenti causâ. Tum ille dixit istud esse mendacium infame meque non solum esse puerum malum, sed etiam ignavum.

Tum ego iratus sum dicens epistolio nihil inesse turpe, illam esse puellam probam. Tum ille tam vehementer risit, ut apparerent duo dentes molares flavi, quia me prodideram. Nec ille desiit ex me quaerere nomen puellae. Nunc cum nihil iam curarem, dixi nullum virum probum nomen prodere, neque umquam me hoc esse facturum. Tum ille me aspexit oculis fallacibus librumque raptim clausit. Deinde dixit: »Tu es planta corrupta in horto nostro crescens. Nos te evellemus. Mendacia tua tibi non prosunt. Bene scio, cui hoc epistolium scripseris. Exi foras!«

Mihi redeundum fuit in classem, et post meridiem facta est conferentia. Rector et magister religionis voluerunt me dimittere. Hoc pedellus mihi dixit. At ceteri me adiuverunt, neque punitus sum nisi octo horis in carcere degendis. Has passus essem sine ullâ molestiâ, nisi cetera ista secuta essent.

Nonnullis enim diebus post epistulam accepi a mammâ meâ scriptam, cui adiecta erat epistula a Domino de Rupp scripta, qui scripserat se dolere, quod ego a se non iam possem invitari, quia rector se certiolem fecisset me filiae suae scripsisse stultum epistolium amatorium. Se ipsum hac re non offendi, tamen me famae nocuisse filiae suae. Necnon mamma scripsit se nescire, num ego umquam fierem vir probus.

Equidem animo non compos fui prae istâ diffamatione impudentissimâ; primo flevi, deinde volui a rectore rationem huius rei reposcere; sed tum re deliberatâ ii ad Dominum de Rupp.

Famula autem eius dixit neminem domi esse, sed hoc non fuit verum, quia foris audivi vocem Dominae de Rupp. Iterum vênit, et nunc adfuit Dominus de Rupp. Cui omnia narraui quam accuratissimê, sed cum finivissem, ille oculo sinistro raptim clauso: »Tu quidem« inquit »es verus vulpio exsecrabilis. Equidem istam rem nequaquam curo, sed curat uxor«. Deinde sigaro mihi dato dixit, ut abirem nunc domum animo perquam quieto.

Qui mihi ne ullum quidem verbum credidit neque umquam me invitavit, quia nemo credit fieri posse, ut mentiatur rector.

Semper creditur mentiri discipulus.

In honorem meum iuravi me istum rectorem esse mulcaturum, si adissem universitatem studiorum, istum furciferum sordidissimum.

Per longum tempus non iam laetatus sum. Aliquando autem incidi in Dominulam de Rupp. Quae unâ cum nonnullis amicibus ambulabat; me conspecto una aliam cubito impellens riserunt. Necnon conversae etiam etiamque me irriserunt.

At equidem si universitatem adiero studiorum et alumnus academicus corporalis si factus ero, et illae mecum saltare voluerint, ego istas beluas stultas sedentes relinquam nullo modo respectas.

Tum istas non flocci faciam.

Capitulum tertium

De periurio

Henricus Varneriorum¹ dixit mammam suam sibi interdixisse, ne ego secum haberem consuetudinem, quia essem moribus perquam incultis et quia sic quoque mox e scholâ fugarer. Tum ego dixi Henrico Varneriorum me non flocci facere mammam eius meque laetari, quod îdem non iam mihi visitandus esset, quia eius conclave vehementer puteret.

Tum ille dixit me esse hominem pervulgarem, ego autem illum bellulê alapatus² tam fortiter proieci ad fornacis tegimen, ut decideret.

Itaque dens quidam eius est fractus et bracis eius vellutinis³ supra genu inerat foramen magnum.

Post meridiem pedellus vênit in classem nostram et nuntiavit mihi subeundum esse ad Dominum Rectorem.

Exii et ad ianuam vultum contorsi, ut omnes riderent. Nemo autem mihi prodiderat, quia iam sciverunt me proditores ulcisci. Henricus Varneriorum non vidit me vultum contorsisse, quia propter dentis defectum domi remanserat.

Alioquin iste certo me prodidisset.

Statim mihi intrandum fuit grapheum directoris, qui oculis suis viridibus acerrimê me aspexit.

Îdem: »En iterum« inquit »te video, puer, qui male educatus es; numquamne nos liberabis a praesentiâ tuâ?«

Cogitavi autem futurum fuisse, ut valdê laetarer, nisi istum iam viderem taeterrimum, sed ab isto ipso me esse advocatum.

Deinde director: »Quodnam« inquit »officium umquam vis gerere, tu animal brutissimum? Putasne te umquam studia humaniora absolvere posse?«

Dixi me quidem hoc credere. At tum ille me invectus tantâ voce clamavit, ut pedellus foris hoc audiret omnibusque narraret. Director autem dixit me esse naturâ sceleratâ meque esse furciferum catilinarium et si quod umquam officium gererem, nullum nisi banausi¹ vulgaris; antiquis iam temporibus omnes homines perditos vitam incohavisse more meo.

Postea director: »Dominus Varnerius« inquit »qui est consiliarius ministerialis²,

¹ **Henricus Varneriōrum** orig. *Werners Heinrich*.

² **illum bellulê alapātus** orig. *ich gab ihm eine feste auf die Backe*.

³ **brācae +vellūtinae** (pl.) *Samthose*.

¹ **+banausus**, -i m. cfr. *Mittellateinisches Wörterbuch*, <http://woerterbuchnetz.de/MLW/?sigle=MLW&mode=Gliederung&hitlist=&patternlist=&lemid=NB00291>: „***banausus**, -a, -um. (βάνουσος)1 adi.: **ad artes illiberales vel opifices pertinens, sordidus — zum niederen Handwerk(erstand) gehörig, schmutzig**: a latius: Albert. M. pol. 1,8c p. 66a,40 -arum [banausarum] (p. 1258b,26 βαναύσων) artium. 4,3c p. 336A,5 multitudo, ... quae vocatur -a [banausa]. 7,7a p. 676b,24 -am [banausam] vitam, id est mercenariorum de vilibus mercibus. 8,1g p. 758a,40 -a [banausa] opera sunt, quaecumque corpora hominum et mentes faciunt illiberalia et inepta ad opera virtutis eqs. *ibid.* al. b strictius de opere coquinario: Albert. M. pol. 1,8c p. 66b,3 -a [banausa] ars

dicitur coquinaria, in qua multi multa lucrantur. **2 subst. masc.: a opifex artes illiberales vel sordidas exercens — Handwerker, der niedere oder schmutzige Arbeiten verrichtet**: α latius: Albert. M. pol. 3,3a p. 225A,40 dictum est, quod -i [banausi] sint mercennarii ... servientes in operibus servilibus ..., sicut sunt coqui ... etpurgatores cloacarum. 3,3c p. 227a,24 ‘ditantur enim multi artificum’, inter quos etiam ditantur -i [banausi]. *Ibid.* al. β strictius de coquis: Albert. M. pol. 1,9k p. 81a,32 -us [banausus] ..., id est coquus, artifex (3,2g p. 221A,25). v. et l. 59. »

² *cōnsiliārius ministeriālis* orig. *Ministerialrat*.

fuit apud me mihi que rettulit, quo statu miserabili esset filius suus« et deinde me punivit poenâ rectoratûs, id est sex horis in carcere degendis propter feritatem atrocem. Mater autem mea a consiliario ministeriali accepit rationem nummariam, ut duodeviginti marcas solveret pro bracis afflictis.

Quae vehementer flevit, non propter pecuniam amissam, quamquam vix habuit pecuniae, sed quia ego iterum iterumque aliquid mali agerem. Stomachatus sum terribiliter, quod mater mea tantâ aegritudine commovebatur, et cogitavi efficere, ne Henricus Varneriorum bene se haberet.

Bracae discissae nobis non sunt traditae a domino ministeriali, quamquam îdem postulavit novas.

Die Dominicâ proximâ futurâ post missam in rectoratu inclusus sum. Istud mihi fuit per incommodum.

In hōc conclavi fuerunt duo filii domini rectoris. Uni fuerunt textûs in sermonem graecum convertendi; itaque in eius mensâ positi erant permulti libri crassi, qui ei erant pervolvendi ad vocabula invenienda. Quandocumque pater eius intraverat, celeriter librum aliquem pervolvebat caputque suum sursum deorsumque dirigebat.

Tum rector: »Mi fili« inquit »quid quaeris?« Eius filius non statim respondit, quia ore tenebat frustum panis. Sed frusto degluttito îdem dixit se quaerere verbum graecum, quod invenire non posset.

At hoc non fuit verum; nam filius rectoris non verbum quaesiverat, nam semper panem comederat e perâ sumptum. Quod perbene videram.

Tamen rector eum laudans dixit deos sudorem praeposuisse virtuti, aut aliquid simile.

Deinde rector iit ad alterum filium, qui ad iugum pictorium stans pingebat. Pictura paene iam erat perfecta. Puer pinxerat plagam et lacum, cui inerant multae naves. Uxor quoque rectoris intravit picturamque aspectavit, et rector fuit animo hilarissimo. Qui dixit hanc picturam expositum iri in sollemnitate finali omnesque visitatores visuros esse in scholâ nostrâ coli artes pulchras.

Deinde abierunt necnon duo filii abierunt, quia tempus fuit prandendi. At ego debui solus remanere neque ullum accepi cibum.

Equidem hoc non flocci feci, quia farcimen salarium¹ mecum attuleram, et cogitavi futurum fuisse, ut macri illi rectoris filii laetarentur, si tantum cibi acciperent.

Filius maior natu picturam suam fenestrae apposuit in conclavi propinquo sitae. Hoc accuratê vidi. Exspectavi, dum omnes foris essent, et deinde perrexi legere fabulam *de lupo Apassionum nigro*² scriptam, quam clam mecum attuleram.

Horâ quartâ a pedello emissus sum. Qui: »Heus tu« inquit »hodie carceri infuisti sat diu«. Ego quidem dixi: »Hoc pertuli levissimê«. Sed reverâ mihi ista inclusio fuerat molestiae sat magnae, quia fuerat perquam iniucunda. At die Lunae post meridiem rector, cum in classem veniret, capite fuit ruberrimo.

Îdem vir statim postquam ingressus est clamavit: »Ubi est Thoma?« Surrexi. Deinde incohavit calamitas mea. Ille dixit me commisisse scelus, quod in annalibus scholae esset inauditum, facinus Herostratêum, quod proximê post incendium templi Dianae locum tenêre secundum. Necnon me condicionem nullâ re aliquatenus meliorem posse reddere nisi confessione paenitentiali.

Rector haec dicens ôs suum raptim tam latum aperuit, ut apparerent eius dentes taeterrimi, terribiliter sputaret, oculi current³.

Ego dixi: »Nihil scio; vae mihi! Nil mali feci!«.

Deinde rector me dixit esse tam ignomiosê mendacem, ut mihi contraherem iram caeli. At ego dicebam: »Omnino nihil scio.« Tum ille ex omnibus classis nostrae discipulis quaesivit, num testari scirent facinus meum, at nemo aliquid scivit de eâ re.

Postea rector de hac re certiolem fecit nostrum professorem. Bene mâne visum est in conclavi iuxta rectoratum vitrum fenestrae lapideiniecto esse discissum necnon in pavimento iacere magnum lapidem, quo pictura illa filii rectoris erat perfossa et deiecta.

Professor autem noster horrore quodam perfusus erat et eius barba capillique horrebant. Qui in me invectus rugivit: »Confitere, infamissime, tune istud facinus commisisti?« Ego respondi me nil scire de istâ re factâ, me iam nimium taedere, quod accusarer scelerum omnium.

Rector autem denuo clamavit: »Vae, vae, vae tibi maledicto! Te si convicero...! Tamen res patefiet sole lucido!«

Deinde rector exiit. Dimidiâ autem horâ post pedellus vênit meque secum duxit ad rectoratum. Ibidem adfuerunt magister noster religionis et rector. Pictura necnon lapis impositi erant sellae. Ante eam stabat mensula. Quae obiecta erat panno nigro; etiam duae candellae ardentes ibi erant et crucifixus.

Magister religionis manum suam capiti meo imposuit et se gessit satis clementer, quamvis alioquin mihi omnino non faveret.

Idem: »Miselle« inquit »puer occaecate, nunc mihi effunde omnia quae sentis. Confitendo recreabitur animus tuus et conscientia exonerabitur«

Rector autem: »Necnon« inquit »condicio tua fiet melior«.

At ego: »Lapidem« inquam »omnino nullum fenestrae inieci«.

Nunc magister religionis vultu fuit indignatissimo. Deinde rectori dixit: »Res nunc statim patefiet. Hac ratione certê patefiet.« Me ad mensam ante candelas adducto horrendâ voce sollemni dixit haec:

»Nunc rem ex te quaero coram his luminibus ardentibus. In institutione religionis audivisti, quam terribiles essent effectûs periurii. Itaque te interrogo: Lapidemne per fenestram iniecisti? Iniecistine an non?«

Tum ego: »Omnino nullum inieci lapidem«.

»Responde: ‘inieci’ aut ‘non inieci, in nomine omnis rei sacrae!«

Dixi: »Non inieci«.

Tum magister religionis umeris concussis: »Ergo« »tamen non fecit. *Decipimur specie recti*«¹.

Deinde rector me dimisit.

¹ **farcîmen salârium** orig. *eine Salami*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Salami>: „...Wortherkunft. Die Bezeichnung stammt vom italienischen *salame* für *Salzwurst* bzw. *Salzfleisch* bzw. lateinischen *salare*. Im Italienischen ist die einzelne Wurst ein „salame“, „salami“ dagegen die Pluralform. In der deutschen Sprache wurde der italienische Plural „Salami“ zur Einzahl; dazu wurde der Plural „Salamis“ gebildet, auch „Salami“ ohne Endung ist gebräuchlich. Das Wort „salumi“ hingegen bezeichnet im Italienischen Wurstwaren...“

² **fâbula dē lupō *Apassiōrum nigrō scrîpta** orig. *Geschichte vom schwarzen Apachenwolf*.

³ **oculi currunt**: cfr CASSIOD.Hist.eccl.7,2.

Equidem satis gaudeo, quod mentitus sum neque confessus sum me vespere diei Dominici lapidem fenestrae iniecisse, cum scirem ibidem esse picturam. Nam si confessus essem, condicionem meam nequaquam reddidissem meliorem, sed e scholâ fugatus essem. Rector enim meliorem condicionem promiserat malâ fide. At ego non tam stultus fui, ut ei crederem.

Capitulum quartum

De avunculo Francisco

Tum mater mea epistulam accepit ab avunculo Francisco scriptam. Qui fuit superior praefectus militum pensionatus. Mater autem dixit se valdê gaudere, quod avunculus scripsisset se velle ex me hominem facere probum, et hoc constare octoginta marcis in mense. Deinde mihi migrandum fuit in urbem, ubi avunculus habitabat. Quod fuit pertriste. Nam ad avunculi habitaculum mihi ascendendum erat per scalas quaternas, et circumcirca domûs non erant nisi altissimae nec ullus erat hortus.

Numquam mihi licuit ludere, nec ullus homo aderat nisi Franciscus avunculus et Anna matertera, qui per totum diem circumeuntes attendebant, ne quid mali fieret. Necnon avunculus me severissimê tractans numquam me aspiciebat nisi dicebat: »Exspecta, puer male môrate, mox inveniam quid mali feceris.«

E fenestrâ poteram sputare in capita hominum praetereuntium; cum sputans a destinato aberraveram, salivâ viae appulsâ strepitus fiebat bellulus, sed si quae capita salivâ meâ erant umidata, homines irâ incensi circumspectantes conviciabantur terribiliter. Tali quidem re factâ saepe ridebam, sed praeterea animus meus non est exhilaratus.

Professor autem me non dilexit dicens me iam advenisse pessimê famatum.

At hoc non fuit verum; nam testimonium malum non acceperam nisi, quia pulverem aërophorum¹ indideram in Dominae Rectricis matellam nocturnam.

Sed hoc feceram longo iam tempore antea, nec fuit causae, cur Professor me tam vehementer vexaret. Accessit quod Franciscus avunculus illum cum bene novisset saepe visitabat.

Deinde inter illos convênit, quomodo ambo me deprehendere possent peccantem.

E scholâ reversus statim iubebar iterum considerare pensa domestica facturus.

Avunculus autem me semper aspectans dicebat: »Heus tu« inquit »num denuo te geris tam stultê? Exspecta, puer male môrate, te instituum diligentius, quam ut umquam obliviscaris.«

Aliquando debui facere pensum arithmeticum. Quod cum non intelligerem, rogavi avunculum, ut mihi explicaret, quia matri meae dixerat illum mihi adfuturum esse. Necnon matertera dixerat avunculum esse tam eruditum, ut multa apud eum discere possem.

Itaque eum rogavi, ut me adjuvaret, sed is penso perlecto dixit: »Num denuo nescis, quomodo computes, puer nequissime? Patet rem esse perfacilem.«

Deinde is consedit et conatus est quaestionem solvere. At hoc non factum est celeriter. Nam avunculus calculabat per totum tempus postmeridianum, et cum interrogarem, nonne rem iam perfecisset, avunculus vehementer in me invectus sermone usus est asperrimo.

¹ pulvis aërophorus i.q. theod. Brausepulver.

Cenâ demum ineunte mihi computationem afferens dixit: »Nunc licet tibi haec describere; quae fuerunt perfacilia, sed alia quoque mihi fuerunt facienda, audin, stultissime?«

Descripta tradidi professori. Die autem Iovis pensum est mihi redditum et ego credidi me accepturum esse notam primam. At proeâdem accepi denuo notam quartam, totâ chartâ rubro colore oblitâ, et professor dixit: »Eheu calculatio tam stulta non fit nisi ab asino.«

»Quem fecit« inquam, »avunculus meus, et ego nil feci nisi calculum descripsi.«

Tum totâ classe ridente professor erubuit.

Tum ille: »Vae tibi, mendacissime« inquit, »cave ne quando coniciaris in carcerem.« Tum me inclusum tenuit per duas horas. Avunculus autem me iam exspectavit, cum soleret me mulcare, postquam inclusus sum. At ego statim clamavi istum culpam contraxisse, quia falso calculavisset, et professorem dixisse, talem calculum non fieri nisi ab asino.

His auditis avunculus me eo vehementius mulcavit, et deinde abiit. *Henricus* autem *Greither*, amicus meus, illum vidit in viâ unâ cum professore ambulasse eosque iterum iterumque constitisse et avunculum locutum esse perquam assiduê.

Postridie professor mihi vocato dixit haec: »Iterum perlêgi computationem tuam; quae tota est recta, sed facta secundum methodum obsoletam. Tamen tibi non nocet, quod inclusus eras, quia hoc semper meres, et quia computationem describens menda fecisti.«

Hoc convenerat inter istos, nam avunculus mihi domum reverso statim dixit: »Cum professore tuo collocutus sum. Computatio bene fuit, sed tu, puer male môrate, describens non attendisti.«

Equidem reverâ bene attenderam, sed computatio avunculi erat prorsus falsa.

Tamen mater mea mihi scripsit avunculum sibi scripsisse se non iam posse mihi adesse, quia ne simplicissimas quidem computationes scirem describere ideoque se incidisse in difficultatem.

Iste quidem est homo taeterrimus.

Capitulum quintum

Magister Puellulus

Noster magister religionis nomine est *Falkenbergius*.

Qui est staturâ parvâ et crassâ et perspicillo aureo instructus.

Si quid sancti dicit, oculos raptim comprimit ôsque suum format acutum. Semper manûs complicans leniterque se gerens nobis dicit: »Vos puelluli«. Itaque eum nominavimus puellulum.

At îdem non est tam lenis quam esse videtur. Si quis ei facit stomachum, Puellulus eum oculis felineis aspectans multo diutius includit quam noster professor classis.

Is autem discipulos increpat terribiliter dicens »vae tibi, puer male môrate, sterquilinium!« mihique aliquando dixit fore, ut parietem impingeret capite meo, ut fieret foramen maximum.

Îdem professor classis patrem meum bene noverat, cui aliquando in montibus degenti licuit cum patre venari. Puto eundem me ideo diligere, sed hoc non patefacere.

Cum *Merkelus* condiscipulus meus me prodidisset, hic magister mihi poenam imposuit duarum horarum. At omnibus ceteris absentibus îdem subito ad me in conclave vênit mihique dixit: »Fac domum abeas, tu rupex male môrate! Ne frigescat sorbitio a te sorbillanda!«

Cui magistro nomen est *Gruberus*.

At Falkenbergius omnino non conviciatur.

Cuius vestem aliquando a tergo cretâ oblevi. Tum omnes riserunt, et ille interrogavit: »Quid ridetis, puelluli?«

At nemo aliquid dixit; tum iit ad Merkelum et dixit: Tu es puer timoratus et puto te taedere mendacii. Loquere aperte: Quid factum est?«

Merkelus autem illi monstravit dorsum suum esse plenum cretae meque hoc fecisse.

Falkenbergius facie perpallidâ celeriter me adiit. Ego putavi me nunc alapatum iri, sed ille ante me constitutus oculos raptim compressit.

Deinde dixit: »Ah tu perditte atque miserrime! Semper indulgenter te habui, sed ovis scabiosus ne totum gregem inficiat!«

Puellulus iit ad rectorem, et ego punitus sum custodiâ sex horarum. Pedellus mihi dixit futurum fuisse, ut dimitterer, nisi Gruberus ille tam vehementer me adiuvisset. Falkenbergius autem perseveranter postulasse, ut dimitterer, quia vestem sacerdotalem maculassem. At Gruberus dixit me tantummodo aliquatenus lascivire seque velle matri meae scribentem quaesturum esse, num sibi liceret me aliquoties alapare. Tum ceteri magistri Grubero assensi sunt, sed Falkenbergius irâ fuit incensissimus.

At effecit, ne emineret sua indignatio, sed proximâ in institutione mihi dixit: »Peccavisti, sed tibi ignosco. Fortasse Deus, quâ est clementiâ ineffabili, te reducet ad viam rectam!«

At custodiam sex horarum perpressus sum, nec Falkenbergius umquam me appellavit responsurum; qui semper me praeteribat simulans me a se non conspici.

Fridericus quoque illi displicuit, quia îdem fuit amicus meus optimus semperque risit illo nos »puellulos« appellante. Ideo Puellulus iam bis inclusit Fridericum; itaque diximus oportere, ut Puellulo dolum necteremus. Fridericus autem sensit ranam displosivam cathedrae Puelluli esse imponendam; sed haec res non bene succedit, quia praematurê patefit. Deinde sessibulo illius illevimus picem sutoris. At Puellulus per totam horam non insedit, et deinde *Bognerus* magister scribendi vênit et adhaesit.

Hoc placuit quoque, sed magis placuisset, si adhaesisset Puellulus.

Fridericus autem apud *Burkhardum* pictorem habitat; eidem surripuit pigmentum oleatum, quod est eiusdem coloris ac cathedra. Quod pigmentum ante institutionem religionis celeriter eidem loco illevimus, quo Puellulus solet brachium deponere.

At tum subito dictum est Falkenbergium esse aegrotum ideoque nos non institutum iri religione, sed geographiâ. Tum Professor *Ulrich* damnum accepit eo quod plenus fuit pigmenti, pedellumque verbis invectus est horribilibus, quod non inscribendo indicasset locum esse recenter impictum.

His modis Puellulus semper evitavit impetûs nostros, sed nos novos dolos excogitare non desiimus.

Aliquando unâ cum rectore vênit in oecum classis et cathedrae institit. Deinde Puellulus dixit: »Puelluli, gaudete! Nuntium vobis afferendum habeo magnificum. Diu pecuniam comparsi, et nunc pro ecclesiâ studiorum nostrâ dilectissimâ êmi statuam Sancti Aloysii, quia is est vir optimi exempli iuvenibus studiosis. Qui de postamento despiciet ad vos, et vos suspicietis ad eum. Hac re animus vester firmabitur«.

Deinde rector dixit ineffabiliter pulchrum esse, quod Falkenbergius illam statuam emisset, et oportere, ut gymnasium nostrum gauderet. Die Saturni venturum esse illum virum sanctum, et necessarium esse, ut nos illum conveniremus illo loco, quo oppidi esset ingressus, et nobiscum afferremus, et die Dominicâ factum iri festum revelationis.

Deinde rector atque Puellulus egressi in aliis oecis classium rem enuntiaverunt. Tum ego atque Fridericus unâ domum iimus.

Nunc Fridericus dixit Puellulum de industriâ curasse, ut nobis Aloysius asportandus esset post meridiem diei Dominicae, quia non congauderet nobis hîc tempore postmeridiano vacaturos esse. Ego quoque Puellulo maledixi et dixi me exoptare, ut currus Puelluli inverteretur.

Friderici pater hoc iam scivit, quia ephemeridi inscriptum erat.

Qui nos diligit et saepe nobiscum colloquitur nobisque donat sigarum.

Necnon pater Friderici irascitur Falkenbergio, quia putat Iosephulum suum examen scholae latinae non superasse propter Falkenbergium. At ego puto Iosephulum esse stultiorem, quam ut superaverit examen.

Dominus risit, quod ephemeridi tot res inscriptae erant de viro illo sancto. Dixit quoque illum esse gypseum seque illum ne dono quidem accipere velle. Istum Sanctum Aloysium esse *Mühldorpiensem*. Eum Mühldorpii iam diu stetisse, neminique placuisse. Fortasse sculptorem ipsum statuam dono dedisse, sed

Falkenbergio de eâdem acceptâ gloriari et simulare se magnam pecuniam erogasse. Dominus dixit Puellulum esse homuncionem speciem tantum pietatis praebentem, et nos quoque conviciati sumus de Puellulo.

Deinde vênit dies sabbati. Omnibus hominibus gymnasii participibus constitutis nos debuimus ire per totam urbem. In fronte iit rector unâ cum Falkenbergio, et deinde professores venerunt. Gruberus non adfuit, quia is est evangelico-lutheranus. Summo in monte est caupona, quo venit via e vico Mühlthropio. Ibi constitimus et exspectavimus. Per semihoram stetimus, usque dum pedellus accurrit et magnâ voce clamavit: »Nunc illum apportant«.

Tum advênit currus scalatus, cui imposita erat magna cista.

Falkenbergius adiit et e vecturario quaesivit, num venisset Mühlthropio et secum attulisset Sanctum Aloysium. Vecturarius affirmavit se Mühlthropio venisse et aliquem inesse cistae. Tum Puellulus stomachatus est, quod currus aspectûs esset tam mali nullaeque ei inessent abietes.

At vecturarius dixit hoc a se non curari, se nihil facere nisi a domino suo iussa.

Deinde non potuimus, quin currum sequeremur, et campanae ecclesiae studiorum sonabantur, usque dum adveniremus.

Ante ecclesiam vecturarius constitit, et voluit cistam de curru ferre.

At Falkenbergius eum non sivit hoc facere. Iussi sunt pueri classis superioris longissimi cistam deferre et in sacristiam portare. Qui fuerunt *Pointnerus* atque *Reichenbergerus*, duos ceteros non noveram.

Nobis autem licuit abire et campanae sonari desitae sunt. Nemo nisi quattuor illi discipuli superioris classis debuerunt adesse viro sancto statuendo; ceteri non, quia postridie demum statua est consecrata. At nos scivimus, ubi eadem statueretur. Apud fenestram tertiam statuta est, quia ibi erat postamentum floribus circumsaeptum.



ECCE SANCTUS ALOYSIUS
ADHUC NASO INTEGRO INSTRUCTUS !

Fridericus atque ego domum iimus; primo adfuit *Carolus Friedmann*. Deinde Fridericus dixit sibi adhuc multa esse discenda usque ad diem Lunae, quia nondum didicisset coniugationem tertiam.

Tum Friedmannus: »Haec coniugatio«, inquit, »nequaquam nobis pensa est discenda«

At Fridericus: »Gruberus hoc edixit perquam dilucidê«. Tum Friedmannus timore correptus est, quia semper est timidus, et ipse est primus.

Qui cum statim aufugisset, Fridericus dixit: »Nunc iste nobis non iam afferet molestias«.

Quaesivi, quare illum amisisset, sed Fridericus exspectavit, usque dum nemo iam esset in propinquo. Deinde dixit se nunc scire, quomodo Puellulo dolum necteremus, et nos in Sanctum Aloysium iniecturos esse lapidem.

Equidem primo putavi Fridericum iocari, sed ille serio hoc dixerat, et addidit se, nisi ego adiuvissem, solum hoc facturum esse.

Tum pollicitus sum me adiuturum esse, sed timui, nam scivi, omnia perditum iri, si res innotuisset.

At Fridericus dixit hoc aptius faciendum esse, quam ut ab ullo homine animadverteretur, nec talem occasionem capi posse umquam iterum Puellulo dolum nectendi, quem non oblivisceretur.

Statuimus, ut horâ octavâ inter nos conveniremus ad rivum *Salzach*. Domi dixi mihi cum Friderico descendam esse coniugationem tertiam, et cenâ sumptâ statim profectus sum.

Iam obtenebruit, cum advêni castaneas, et gavisus sum, quod in neminem incidi.

Fridericus iam adfuit, et exspectavimus, usque dum tenebrae essent nigerrimae. Deinde rivum *Salzach* praeteriimus; semel audivimus animal gradiens. Tum stetimus in fruticetum abditi.

Adfuit notarius; qui solet nocte ambulare et carmen pangere, quod publicetur in periodico hebdomadali.

Īdem nihil animadvertit, et cum iam procul abiisset, nos denuo progressi sumus.

Gymnasium et ecclesia studiorum sitae sunt in fine urbis; ibidem cum tenebrae sunt, nullus versatur homo, nisi pedellus, sed is etiam non est ibi, sed in cauponâ cervesiae stellatae.

Advênimus et uterque nostrum sustulit lapidem.

Fenestras vidimus. Per tertiam fuit lapis iniciendus. Fridericus mihi dixit: »Necesse est, ut lapidem bene iaculeris dextrorsum; si parietem attigerit, introrsus reicietur. Fac ut iaculeris dimidiâ tantâ altitudine, quantâ est fenestra; ego conabor altius iaculari, unus nostrum certê Aloysium percutiet« - »Assentior« respondi, et deinde lapides sumus iaculati. Strepitus factus est magnus, ut sciremus nos fenestram percussisse.

Proximê post gymnasium est coryletum; in quod abditi auscultavimus auribus arrectis. Silentium fuit vastissimum, et Fridericus dixit: »Hoc factumst bellissimê. Nunc nobis cavendumst, ne quis nos ire videat«.

Celeriter cucurrimus, sed si quid audiebamus, consistebamus. In neminem incidimus, et apud patrem Friderici per saepimentum posticum nixi in hortum descendimus et perquam quietê per scalas ascendimus.

Fridericus lumen siverat lucere, ut crederent se domi versari. Ad mensam consedimus et corpus deterimus vehementer sudantes.

Subito aliquis per scalas ascendit et ianuam pulsavit.

Equidem ad fenestram accucurri, quia adhuc sudore eram perquam madidus, sed Fridericus capite manui imposito simulavit se discere.

Adfuit autem ancilla expeditoris Friedmannii, quae dixit Carolum Friedmannium nos salvere iubere, eum non credere nobis tertiam coniugationem esse discendam, quia hoc quaesivisset ex *Raithelio* et *Kanzlero*, et neutrum illorum de hac re discendâ aliquid novisse.

Fridericus autem caput tollere noluit, quia etiam vehementer sudabat. Qui dixit se audivisse mandatum magistri dilucidê, ideoque se discere coniugationem tertiam.

Tum ancilla abiit, et audivimus eam infra dicere Dominae Burkhardae Fridericum discere sedulissimê sibi videri esse crudele, quod discipuli cogentur, ut discerent tot tantasque res.

Proxima dies fuit Dominica, et octavâ horâ missa fuit et sollemnitas in honorem Aloysii celebranda.

At eadem celebrata non est.

Cum advenirem, ante portam multitudo hominum circumstabat densissima. Circa pedellum multi circumstabant, iuxta eum stabat rector necnon Falkenbergius.

Qui collocti digitis monstraverunt fenestram. Cui inerant duo foramina.

E Raithelio quaesivi, quidnam fieret. Qui dixit: »Aloysio nasus est abreptus«.

»Aloysio nasus est abreptus«.

Ego quaesivi: »Num decidit in statuendo?«.

Ille: »Non decidit« inquit, »sed lapides involaverunt«.

Advenerunt etiam *Föckererus* et *Friedmannus* cancellarius. *Föckererus*, qui soleat gloriari de sagacitate suâ, dixit se hoc audivisse primum.

Se adfuisse, cum adveniret Falkenbergius, et pedellum rem sibi monstravisse. Factum esse spectaculum horribile, nam foraminibus fenestrae conspectis illos intravisse et vidisse capiti Aloysii deesse nasum ôsque, et infra statuam omnia gypsi fuisse plena, et deinde inventos esse duos lapides. *Föckererus* dixit, si is qui hoc fecisset, inventus esset, se credere eidem caput amputatum iri. Hoc enim Pedellus dixerat. –

Equidem me omnino non movi, neque se movit Fridericus. Is Friedmanno tantummodo dixit se nunc novisse coniugationem tertiam.

Adii adultos, ubi stabant professores. Pedellus loqui non desiit.

Qui omnia denuo coepit narrare.

Pedellus dixit se domi fuisse et deliberasse, num poturus esset semilitram cervesiae. Subito uxorem suam dixisse se talem strepitum audivisse, qualis audiretur, si diffringeretur quadra fenestrae. Tum se quaesivisse »Ubinam quadra fenestrae sit diffracta?«. Deinde se uxoremque suam audivisse seque aperuisse ianuam domûs. Tum sibi visum esse audire aliquem gradientem, itaque se in conclave suum ingressum sclopetum sumpsisse. Deinde se egressum ter vocasse »Quis adest?«. Nam se hoc didicisse, cum esset miles optio. In bello quoque milites hoc fecisse, in quo semper alicui vigilantibus, si quid suspiciosi audivisset, vocandum fuisse: »Quis adest?«. At deinde nihil iam motum esse, seque ter per

aulam circumiisse neque ullam rem vidisse insolitam. Et deinde se iisse in cauponam cervesiae stellatae, quia cogitaret sibi bibendam esse semilitram cervesiae. Pedellus dixit se, si quem vidisset, futurum fuisse, ut glandem iaculatus esset, nam si quis non responderet verbis quae essent »Quis adest?«, oportere, ut iaculando necaretur.

Rector ex eo quaesivit, num de aliquo suspicionem haberet.

Tum pedellus dixit se iam habere de aliquo suspicionem, sed nictatus dixit se non debere dicere, quis sit, ne ille aufugiat. Pedellus addidit, nisi tot homines circumstetissent, fortasse futurum fuisse, ut iam furciferum deprehenderet, quia vestigia pedum mensuraret, sed nunc omnia esse deleta.

Tum rector eum interrogavit, num crederet se illum deprehensurum esse. Tum pedellus iterum nictatus dixit se illum certê deprehensurum esse, quia omnes scelerati bis venirent locum facinoris spectaturi. Seque nunc per totam noctem vigilaturum esse scopeto instructum semelque tantum clamaturum esse »Quis adest?« et deinde statim iaculaturum.

Falkenbergius dixit se orare velle, ut sceleratus inveniretur, sed hodie non factum iri missam sacram, quia Aloysius esset dimovendus, nobisque esse domum eundem etiamque orandum, ut auctor facinoris patefieret. Tum omnes abierunt, sed ego unâ cum Friedmanno et Raithelio remansi, quia pedellus vênit ad nos et denuo omnia narravit, strepitum factum esse uxoremque suam primam eundem audivisse et cetera, et cetera.

Necnon pedellus dixit se illum sceleratum deprehensurum esse, et antequam praeteriisset septimana integra, se illum glandibus percussurum esse, aut fortasse se saltim in illius pedes glandem iaculaturum esse.

Equidem ii ad Fridericum omniaque haec narraui. Deinde nos ambo vehementissimê cachinnavimus.

Postea facta est magna perquisitio, et in omni classe quaesitum est, num quis quid sciret de facinore facto.

Puellulus autem dixit se suis discipulis numquam donaturum esse Aloysium alterum, antequam patefactum esset, quis istud facinus commisisset.

Itaque omni institutione religionis ineunte debuimus precationem facere, ut patefieret nefas istud atrocissimum.

At haec precatio nullo modo profuit, neque ullus aliquid scit praeter me Fridericumque.

Capitulum sextum

Feriis quae facta sint

Feriae magnae coeperant et iam durabant ex quattuor septimanis. Mater mea saepe gemitabat, quod nos tam diu vacaremus ab institutione scholari, quia cottidie aliquid fieret incommodi, et soror dixit me familiae nostrae infamiam movere.

Tum aliquando magister *Wagner* nos visitavit. Qui saepius ad nos venit, quia mater mea pomorum tam bene perita est, et bene scit cum eâdem colloqui.

Wagner narravit mâla sua persica fieri pulchra seque iisdem delectari.

Deinde etiam dixit institutionem scholae elementariae post duos iam dies denuo incohatum iri ideoque se mox non iam ab officio vacaturum esse.

Mater mea dixit futurum fuisse, ut gauderet, si gymnasii quoque institutio iam incoharetur, sed sibi adhuc patiendas esse ferias scholares per tres septimanas.

Magister autem dixit: »Verum enim vero, haud bonum est catulastros nimis diu vacare. Itaque consilia capere solent vel ineptissima«.

Deinde autem ille abiit. Forte acciderat, ut eodem die furarer tructam, ideoque piscator irâ incensus ad nos cucurrit et clamavit se istud delictum apud astynomos indicaturum esse, nisi accepisset tres marcas ad damnum resarciendum.

Tum convicia in me collata sunt vehementissima, sed soror mea dixit: »Quid hoc prodest? Cras aliquid alterius mali incohabit, nec ullus homo nobiscum vult inire rationem quamcumque. Heri iudex officialis me praeteriens salutavit perquam frigidê. Alioquin semper salutans manet quaesiturus, quomodo valeamus.«

Mater mea dixit aliquid esse faciendum, sed se adhuc nescire, quidnam faciendum esset.

Subito iisdem in mentem vênit fortasse fieri posse, ut ego feriarum tempore frequentarem scholam elementariam, Dominum magistrum certê hoc sibi permissurum esse.

Equidem dixi hoc non oportere, quia iam futurus essem discipulus classis secundae scholae Latinae, et condiscipuli si accepissent me nunc in scholâ elementariâ versari, istanc rem esse infamiam horribilem coram commilitonibus contrahendam. Me malle non iam dolos nectere et fieri sedulissimum.

Cara autem mea mater dixit sorori meae:

»Audis eum nunc fieri alium, et res si ei est tam odiosa propter *colimitones*, semel etiam exspectemus«.

Fieri non potest, ut mater memoriae mandet verba Latina.

Gavisus sum rem sic transactam esse, rectêque contudi animum.

Per unum diem res bene facta est, sed die Mercurii non iam sustinui.

Iuxta nos *Bischofius* consiliarius secretus habitat ad Viam Rusticationis¹ Aestivae.

¹ *Via Rüsticâtionis aestivae orig. in der Sommerfrische.*

Eius uxor cum me non diligit, quandocumque saepimento appropinquo, ancillae suae acclamat: »Attende, Elisabetha, adest puer male mōratus«.

Bischofii autem habent cattam Angorensem²; cui semper licet sedere iuxta illos, quandocumque sub dio cafeam bibunt, et Domina Consiliaria Secreta quaerit ex illâ: »Nonne vult cattula nostra aliquantulum lactis? Nonne vult etiam aliquantulum mellis?«

Quasi catta posset verbis affirmare aut esset infantula.

Die Mercurii catta cum esset apud nos, ancilla nostra eam cibavit.

Tum nemine aspectante eam apprehensam stabulo incluso, ubi prius habueram duos cuniculos regios.

Deinde exspectavi illos cafeam poturos. Domina Consiliaria Secreta iam adfuit et vocavit: »Cattula! Cattula! Elisabetha, nonne vidisti cattulam?«

Sed ancilla hoc nescivit, et illi homines consederunt, et ego post cortinam sedens illuc prospexi.

Tum Domina Consiliaria Secreta maritum allocuta: »Eugéni« inquit »nonne vidisti cattulam?«

Ille autem respondit: »Fortasse, nescio«. Deinde perrexit acta diurna perlegere.

At Domina Consiliaria Secreta perquam cogitabunda butyrum pani illinens: »Omnino nescio« inquit »ubi maneat cattula. Num ea capit mures?«

Interim ego celeriter stabulum ingressus cattam apprehendi. Ad eiusdem caudam alligavi pyropordam³, saepimentum domûs Consilarii Secreti posticum adii pyropordamque accendi. Deinde cattam dimisi. Quae statim per saepimentum lapsa cucurrit celerrimê.

Ancilla clamavit: »Domina Consiliaria Secreta, cattula iam venit«. Deinde audivi eam dicentem: »Ubinam est cattula mea? Heus tandem ades! At cara bestiola quidnam habet ad caudam adiunctum?« Deinde stridor atque crepitus facti sunt terribiles, et illi homines clamantes pocilla humum deiectaverunt, et silentio facto Consiliarius Secretus dixit: »Hoc quoque fecit iste puer male mōratus infamissimus«.

Ego autem me abdididi in conclave sororis meae; inde enim despiciere potes in hortum. Mater mea et Anna etiam cafeam biberunt et cara mea mater modo dixit: »Viden', Annula, Ludovicus non tam malus est; si quidem sat bene tractatur. Heri didicit per totum diem, et bonum est nos ei non infamiam intulisse coram suis *colimitonibus*«.

Anna autem: »Ego quidem« inquit »scire velim, cur Dominus Iudex Officialis me salutans non constiterit«.

Nunc subito ad introitum horti nostri apparuerunt Consiliarius Secretus et Domina Consiliaria Secreta, et mater mea dixit: »Annula, num mittella mea rectê posita est? Consilarii secreti videntur nos visitare«.

Mater autem cum surrexisset, audivi eam illis obviam procedentem dicere:

² **catta Angōrēnsis** orig. *Angorakatze*. cfr Brehms Thierleben: Angorakatze (*Felis maniculata domestica angorensis*).

³ **pyroporda**, -ae f. orig. *Pulverfrosch*. lusoria capsula displosiva, quae adhibetur in pyrotechnematibus. angl. *grasshopper, jumping jack (fireworks)*; fr. *pétard*; hisp. *petardo*; ital. *petardo*. cfr pyrobolus. cfr Nikolaus GROSS, *Glossarium Fragrantiae*, Fundatio Melissa, Bruxelles a.2004, p.310: "pyroporda, -ae f. orig. *Petarde* (cap.8). Quod nomen ipsimet confingere ausi sumus e verbis Graecis, q.s. πῦρ, i.q. ignis, et πορδή, i.q. crepitus ventris. Nam talium crepundiorum Francogallicum nomen, q.e. pétard, ducitur a verbo *péter*, i.e. *pēdere, crepitum ventris ēdere*".

»Edepol perhumanum est vos venire nos visitatum«. At consiliarius secretus ôs tam terribiliter distorsit, ut crederes eum ambulare cum cadavere, eiusque uxor facie ruberrimâ manu tenens exustam illam pyropordam narravit cattum suum nunc delirare et tria pocilla esse diffracta. Necnon neminem istud facinus commisisse nisi me.

Tum matre meâ lacrimas effundente Consiliarius Secretus dixit: »Lacrimae, bona muliercula! Lacrimae de filio tuo improbissimo!« Deinde autem coniuges postulaverunt, ut mater mea pecuniam solveret pro pocillis diffractis, quorum unum constitit duabus marcis, quia fabricatum erat ex porcellanâ exquisitâ.

Ego autem horribili irâ incensus sum videns matrem meam anilem eximere crumillam vetustam eamque nummos numerare manibus vehementer trementibus.

Domina Consiliaria Secreta pecuniâ marsuppio rapidê ingestâ dixit rem maximê terribilem esse cattae delirationem, sed se matris meae miseritos nolle de istâ re crimen deferre. Deinde cum Consiliarius Secretus dixisset: »Deus perquam durê te examinat filio tuo«, ambo tandem abierunt.

Ego diutius etiam in hortum despectavi. Tum mater mea ad mensam considens mucinnio detergebat lacrimas, sed iterum iterumque novae prorumpebant, necnon ex Annulae oculis. Panis autem butyratus catino inerat, sed illae noluerunt eundem comedere. Ego cum essem perquam tristis, abii, ne me viderent.

Cogitavi Consiliarium Secretum improbissimê fecisse eo quod pecuniam sumpsisset, et necessarium esse, ut isti dolum aliquem necterem. Me velle cattam clam conficere et eius caudam abscidere. Deinde si Consiliaria vocatura esset: »Ubinam est cattula mea?«, me caudam trans saepimentum proiecturum esse. At deliberandum mihi esse, quomodo hoc facerem clam ceteris omnibus. Tum exhilaratus sum mente confingens, quomodo illa muliercula vultum contractura esset nihil cattae videns nisi caudam. Tum domum ii manducatum. Anna iam ad ianuam stetit dicens mihi sôli fore comedendum et cras in scholam eundum. Dominum Magistrum *Wagnerum* hoc comprobavisse et pollicitum esse me a se tractatum iri quam severissimê.

Maledicta conicere volui, quia infame est discipulum linguae latinae considerare unâ cum pupillis scholaribus stultissimis, sed recordatus sum, mater mea quam vehementer lacrimasset.

Tum omnia mala passus sum.

Postridie in scholam ii. Huic scholae unum tantummodo conclave fuit, cui infuerunt omnes classes, unâ ex parte pueri, alterâ puellae.

Adveniens a magistro impositus sum subsellio primo. Deinde îdem dixit pueris puellisque dandam esse operam, quia hodie adesset magnus vir doctus, qui sciret Latinê.

Horum verborum me piguit, quia pueri cachinnaverunt. At hoc non prodidi vultu. Aliquis debuit recitare textum. Qui textus inscriptus erat »De vespero« hisque verbis incohatus est: »Sol cubitum it et in caelo venit stella vespertina. Aviculae cantu amabili finito obmutescunt; grylli tantum sonos êdunt in campo. Tum agricola sedulus domum it. Eius canis laetê latrat, et pueri ad eum saliunt«. Et cetera, et cetera. Iste textus fuit tam stultus, ut cogitarem magnae esse infamiae discipulo Latinitatis assidêre isti rei tractandae.

Magister dixit discipulis classis septimae textum nunc ex memoriâ esse scribendum etiamque Dominum Discipulum Latinitatis a se invitari, ut hoc faceret.

Qui mihi dedit tabellam stilumque et dixit sibi in ecclesiam abeundum esse et afuturum esse per semihoram, et institutionem custoditum iri a *Mariâ Furtnerâ*. Quae puella fuit septimae quoque classis et filia cuiusdam agricolae, qui domum habet haud procul a nobis sitam.

Tum ego etiam vehementius iratus sum, quia ille postulavit, ut oboedirem puellae.

Cum magister foras abiisset, perquam tranquillê ex *Leitnero*, qui sedebat iuxta me, quaesivi, num hodie post meridiem mecum abiturus esset piscatum.

Tum Maria Furtnera vocavit: »Tace! Si iterum blateraveris, nomen tuum notabitur!« -

Ego autem: »Excusa« inquam, »Dominula Magistra, desinam«.

Deinde clavem e sacculo extraxi et expertus sum, num eadem adhuc sibilare possem.

Tum Maria Furtnera ad tabulam accessit eique inscripsit: »Thomas sibilavit«. Ego autem surrexi et: »Excusa« inquam »Dominula Magistra, quidnam mihi faciendum est, ne nomen meum inscribas?«

Illa dixit mihi scribendum esse textum illum, c.t. »De vespero«.

Tum celeriter aliquid scripsi, et deinde surrexi et dixi: »Excusa, Dominula Magistra, licetne mihi hoc recitare, ut mihi dicas, num rectê scripserim?«

Tum superbivit ista belua stulta, quod sibi liceret aliquid praescribere discipulo Latinitatis, et dixit: »Bene, licet tibi recitare«.

Tum ego recitavi voce satis magnâ: »Sol cubitum it. Stella vespertina est in caelo. Ante cauponam est silentium. Subito ianua aperitur et servus domesticus eiectat agricolam. Qui est ebrius. Qui est pater Mariae Furtnerae«.

Tum omnes parvuli cachinnaverunt, et Furtnera coepit flere. Quae iterum tabulam adiit et scripsit: »Thoma se gessit importunê«. Quae verba ter cretâ induxit. At ego e subsellio meo egressus spongiâ sumptâ verba ab illâ scripta extersi.

Denique capillis nexis correptis Mariam Furtneram mulcavi, et in fine ei alapam duxi, ut sciret non licere nomen discipuli Latinitatis tabulae inscribere.

Nunc magister vênit et omnibus rebus auditis iratus est. Qui dixit me matris tantum causâ non eiectari, sed institutione finitâ per duas horas a se inclusum fore. Quod ille reverâ fecit. Cum parvuli abiissent, mihi remanendum fuit et magister ianuam clave clausit. Undecima iam hora fuit egoque vehementer esuriebam et cogitabam, quantam infamiam contraherem eo quod inclusus essem in scholâ elementariâ.

Tum vidi, num possem apoculare et fortasse per fenestram desilire. At fui in tabulato primo, nimiâ in altitudine, humus infra sita erat lapidosa. Tum ex alterâ parte conclavis vidi infra situm esse hortum. Cogitavi si humum desiluissem, me fortasse non esse doliturum. Fenestrâ apertâ deliberavi, num saltum experirer. Tum subito conspexi muro appositos esse asseres, qui adminiculantur arboribus pomiferis et speravi me illis sustentatum iri.

Deinde lentê excendi pedêque quam cautissimê asseribus imposui. Quibus bene sustentatus sum et cum vidissem hoc non esse periculosum, in mentem

mihi subiit expedire, ut mecum ferrem mâla persica. Omnes sacculos necnon petasum complevi.

Tum demum domum ii mâlaque persica cistae meae imposui.

Post meridiem allata est epistula magistri, quâ scriptum erat, ne iterum scholam intrarem.

Tum gavisus sum.

Capitulum septimum

Sponsalia

Bindinger professor classis nostrae venerem petivit a Mariâ sorore meâ¹. Hoc mox animadverti, sed domi omnes secretius se gerebant, quam ut aliquid accuratius acciperem.

Alioquin Maria semper me vituperabat, et cum mater mea dicebat: »Per Deum, talis ille est!«, Maria semper aliquid vituperii addens dicebat me esse nequam puerum male moratum.

Subito Maria perquam lenis facta est.

Cum classem obiturus eram, soror saepe me currendo usque ad scalas secuta: »Nonne vis« inquit, »mâlum tecum auferre, Ludovice?«

Deinde etiam attendit, ut gererem collare candidum, et focale mihi colligavit, nisi ipse rectê hoc feceram.

Aliquando Maria mihi êmit focale novum, quamquam hanc rem antea omnino non curaverat.

Haec mihi statim visa sunt suspiciosa, sed nescivi, quare soror haec faceret.

Ex me domum redeunte saepe quaerebat: »Nonne Dominus Professor te appellavit? Dominusne Professor tecum agit affabiliter¹?«

At ego: »Quid hoc« inquam, »rêfert ad te? Omitte istas argutiolas! Non ego te flocci facio!«

Primo putavi eam esse novam ineptiolam eius, quia puellae modo hoc modo illud dicunt faciuntve, ut videantur esse quam sagacissimae.

Postea demum rem perspexi.

Bindingero autem ego numquam placueram, neque iste placuerat mihi. Iste enim erat perquam sordidus.

Iste enim semper ientabat ova apala; hoc eo apparebat, quod istius barba erat plena vitellorum.

Bindinger in faciem consputabat hominum, quibuscum loquebatur, et istius oculi erant colore felineo.

Omnes professores sunt stulti, sed iste etiam erat stultior.

Iste capillos suos non sinebat resecare et abundabat furfuribus.

Cum loquebatur de Germanis antiquis, barbam suam sibi permulcebat et voce gravi loquebatur.

At ego non credo Germanos antiquos tam ventriosos fuisse caligasque gessisse tam detritas quam istum.

Cum ceteros vituperaret, me cellâ inclusit semper dicens: »Tu quidem numquam fies membrum societatis utile, tu catulaster nequissime!«

Deinde facta est ballatio sodalicii cantorum, quam propter Mariam mater mea quoque participavit.

¹ **venerem petivit a Mariâ sorore meâ** orig. *hatte es auf meine Schwester Maria abgesehen*.

¹ **affâbiliter agere cum aliquô**: cfr Matthias a Corona Leodiensis, *De missionibus apostolicis sive tractatus de utilitate sacrarum missionum*, Leodii 1675, p.385: "Non vult altercari de praecedentia sacrificii, sed vult **cum iis affabiliter agere**, non vult verbis, sed rationibus contendere, quia ad nihilum valet ejusmodi contentio, scilicet cum verbis et modo inordinato ac litigioso, sed valde periculosa est, ..."

Maria huius ballationis causâ accepit vestem rosaceam et flevit horribiliter, quia sutrix hanc vestem nimis sêro perfecit.

Equidem gavisus sum, cum eae tandem foras abirent tantas ineptiolas facientes. Postridie Maria de ballatione narrans mihi dixit: »Audi, Ludovice, Dominus Professor *Bindinger* etiam adfuit. O hic vir quam lepidus est!«

De his verbis stomachatus e Mariâ quaesivi, num ille bene sputavisset, et nonne vestem Mariae rosaceam ovorum maculis conspurcasset. His auditis soror penitus erubuit et subito prosiluit, foras cucurrit, et per ianuam audita est flere.

Iam credidi eam esse mente captam, sed mater mea valdê indignata:

»Non licet tibi« inquit, »tam indecorê loqui de magistris tuis; quod Maria non patitur«.

»Velim quidem scire, quidnam hoc rêferat ad eam, stultum est eam hac de causâ flere«.

Mater mea: »Mariola« inquit, »est bona puella et videt te nihil discere et insolentius te gerere in professorem tuum«.

»At istius barba« inquam, »abundat vitellis ovorum«.

Mater autem: »Is est vir frugi et prudens, qui adhuc facturus est magnum cursum honorum. Et lepidê locutus est cum Mariolâ. Necnon ei dixit, quantum curarum sibi tu facias. Et nunc tace!«

Equidem nihil iam dixi, sed cogitavi *Bindingerum* esse furciferum, quod me accusavisset apud sororem meam.

Post meridiem îdem in institutione Latinâ me appellavit; sed quia lectionem Cornelii Nepotis non praeparaveram, eius verba in theodisca convertere nescivi.

Ille: »Heus puer« inquit »quare denuo non es praeparatus?«.

Primo cum nihil haberem, quod praetenderem, dixi:

»Excusa, Domine Professor, non potui«.

»Quidnam non potuisti?«

»Nepotem non potui praeparare, quia soror mea particeps fuit ballationis«.

Tum ille: »Istud quidem« inquit, »est omnium impudentissimum, quod uteris excusatiunculâ tam stultâ«, sed ego iam aliquid inveneram, quod praetexerem et dixi me vehementer ex capite laborasse, quia sutrix tam diu remorata esset et ego, a quo ista fuisset adducenda, in ponticulo lubrico elapsus capite illiso passus essem dolores horribiles.

Intra me autem cogitavi mihi non sollicitandum esse, sive ille crederet sive non, quia nesciret demonstrare me esse mentitum.

At ille me non vituperatum abire sivit.

Postridie cum e scholâ rediissem, Maria in stibadio mediani sedens lacrimabat horribiliter. Mater autem mea eius caput tenens: »Ah Mariola« inquit, »hoc bene fiet. Quiescas, puellula!«

At soror: »Non, certê numquam bene fiet. Iste puer male moratus semper sedulê curabit, ut fiam infelix«.

»Quidnam denuo ista lamentatur?« interrogavi.

Tum mater vehementius irata est quam umquam antea.

»Quidnam« inquit, »tu ipse hoc interrogas! Tu ipsi Deo nescis rationem reddere istarum rerum, quibus sororem tuam vexas, et, ut omittam pigritiam tuam, ad miseram hanc puellam convertisti culpam tuam eo, quod mente finxisti te

caespitasse in ponticulo, quia sororis causâ tibi ad sutricem fuisset eundum. Quidnam de nobis cogitet bonus Professor *Bindinger*?«

Tum Maria »Is sentiat nos se abûti! Sentiat nos omnes mentiri, sentiat me quoque talem esse!« vociferata est mucinnio madido oculis appresso.

Ego autem statim foras exii, quia iam scivi eam me remansuro etiam vehementius excitatum iri, et cena mihi ad conclave meum est apportata.

Haec facta sunt die Veneris; et die Dominicâ subito mater mea ad me intravit et leniter subridens dixit, ut venirem in medianum.

Ibi autem stabat Professor *Bindinger*, et Maria caput suum in eius umerum acclinaverat, et ille oculis erat horribiliter perversis. Mater mea me manu ducens: »Ludovice« inquit, »Maria nostra nunc fiet Domina tua Profestrix«, et mucinnio exempto lacrimavit. Necnon Maria flevit. *Bindinger* autem iit ad me et manu capiti meo impositâ: »Faciamus« inquit, »ex isto puero utile membrum societatis«.

Capitulum octavum

Nuptiae

Narrabo etiam de nuptiis, quas unâ celebraverunt mea soror et *Professor Bindinger*. Hae factae sunt die aliquo Martis, quo toto vacuus fui ab institutione scholari. Accepi novam synthesin vestiariam et mihi surgendum fuit multo mâne, ut paratus essem recto tempore. Nam domi fuit affectus animorum excitatissimus, nec umquam ianua desiit aperiri claudique, et cum tintinnabulum sonabat, mater mea clamabat: »Quidnam fit, Catharinula?« Soror autem mea clamabat: »Statim! Statim! Iam iam adsum«, et deinde ianuam aperiebat, et cum advenerat vir scutulam afferens aut epistulam, omnes mulieres quiritabant ianuasque suas raptim claudebant, nondum enim erant perfectê indutae.

Deinde vênit famulus et dixit primum currum cum parvulis adesse, et denuo factus est tumultus. Mater mea vocavit: »Esne paratus, Ludovice?« et Maria clamavit: »Agedum, fac properes!« Equidem laetus fui, cum essem infra.

In curru autem sedebat *amita Frida* cum suis filiabus *Anna* atque *Elisabetha*. Quae erant candidis vestimentis indutae et cincinnis calamistratis, quales geri solent festo confirmationis. Amita autem statim quaesivit: »Estne Mariola satis beata? Quod facile est animo fingere, quia illa nubit viro tam bellulo; quod nemo suspicatus erat, quia is fuit *tuus* professor!«

Iam sciveram istam viperam vetulam¹ semper nobis aliquatenus adversari et, ubicumque posset, matrem meam laedere. At ego quoque iam saepe illi molestus fui, et nunc dixi Annae filiae faciem lenticulis² scaterere eiusque lentiginem in dies augeri.

Deinde autem cum essemus prope ecclesiam et iremus in sacristiam³, oportuit amita quamvis irâ incensa sermonem meum pateretur patienter et esset affabilis, quia Dominus parochus allocutus est eam.

Nunc vênit currus, cui infuit *patruus Franciscus* cum *amitâ Augustulâ* eorumque filio *Maximiliano*, qui odio mihi est. Patruus Franciscus est familiae nostrae omnium vir divitissimus, quia possidet typographeum⁴ librorum et est – valde pius, quia possidet etiam ephemeridem catholicam. Eum si visitas, accipis imagunculam hominis sancti, sed numquam accipies ab isto pecuniam aut aliquid comestibile. Qui semper simulat se Latinê scire; at tantummodo frequentavit scholam theodiscam, non Latinam. Amita autem Augustula cum etiam magis pia sit quam patruus, solet matri meae affirmare nos nimis raro ire in ecclesiam ideoque effectum esse totum infortunium meum, quo familia nostra tam vehementer vexetur.

¹ **vīpera vetula**. orig. *die alte Katze*. Varia nomina hominum increpatoria sensu originali spectant ad serpentes: **vīpera venēnāta** (CIC.har.resp.25,55: de Clodio); **vīpera** (PETR.77,1: Trimalchio de uxore suâ); **éxcetra**, -ae f. (PLAUT.Cas.644: de servâ procaci; LIV.39,11,1: de amatâ filii); **nātrix**, -icis f. (de Caligulâ).

² **lenticula**, -ae f. orig. *Sommersprosse*; angl. *freckle* CELS.6,5. cfr **lentīgō**, -inis f. PLIN.nat.20,9; 23,89.

³ **sacristia**, -ae f. orig. *Sakristei*. Cfr Albert Sleumer, *Kichenlateinisches Wörterbuch*, Limburg a.d. Lahn 1926, p.687: „säcristiā, ae f. Sakristei“.

⁴ **typographēum**, -ī n. orig. *Druckerei*.

⁵ ***grānātīnus**, -a, -um orig. *Granat//*. cfr Ducange, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis*, tom.3, Parisiis 1844, p.55: „GRANATINUS..., GRANATUS, carbunculus, lapis pretiosus rubicundior,...“

Isti intrantes primo parochum accesserunt, deinde amita Augustula amitam Fridam osculata est et amita Frida dixit: »Ah hodie tu geris ornamentum tuum granatinum⁵; scilicet nos non posse gerere ornamentum tam pretiosum«.

Plurimum gavisus sum, quod *avunculus Iohannes* vênit cum *materterâ Annâ*. Is est saltuarius¹, et apud eum iam fui feriarum tempore. Īdem hilari fuit animo et semper ridebat me imitante amitam Fridam, quam dicebat esse excetram exsecrabilem². Hodie ĩdem vir gessit collare camisiae et iterum iterumque manu tangebatur collum. Puto eum fuisse quadam animi difficultate, quia circumdatus erat tot peregrinis, iterum iterumque in angulum itabat.

Sacristia magis magisque complebatur. Duo magistri gymnasii nostri venerunt, professor matheseos et magister scribendi. Deinde cognati agnatique Bindingeri; duae sorores eius et frater, magister gymnasticus scholae realis, cuius pectus superbiâ erat tumidissimum. Unâ cum his dominis semper vehebantur iuvencae, quas ignoravi. Unam tantum noveram, *Rosam Weinberger*, bonam amicam Mariae.

Omnes habuerunt fasciculos florum; quos semper ante facies tenebant satis stultê subridentes, quamvis nulla esset causa, cur rideretur.

Nunc vênit mater mea cum *avunculo Iosephulo*³, qui est consiliarius telonialis⁴, et statim post eos Bindinger et Maria et paranympus⁵. Īdem fuit centurio pensionarius et Bindingeri cognatus remotior, indutus veste uniformi, quae erat insigni honorifico ornata; amita autem Frida dixit amitae Augustulae: »Heus, Deo gratias agamus, quod illae feliciter piscatae sunt praefectum militarem«⁶.

Ianua sacristiae apertâ nos agmine uniti debuimus ire in ecclesiam.

Bindinger et Maria in mediâ parte ante altare genua flexerunt, et parochus exiit et sermonem habuit et illos rogavit, num vellent conubio coniungi. Maria perquam submissê dixit se velle, sed Bindinger rem affirmavit voce bassâ horribili. Deinde missa sacra lecta est, quod factum est per tantum temporis spatium, ut me eiusdem taederet.

Spectavi illuc ad avunculum Iohannem, qui stabat vicissim uno aut altero pede nixus et petasum suum inspectans et screans et caput scalpens.

Deinde is animadvertit se a me aspectari, oculis nictavit et furtim pollice indicavit amitam Fridam. Tum autem sic dentes restrinxit ut illa hoc solet facere. Tum ego risum non tenui. Frater Bindingeri umerum meum pulsavit et dixit, ut decentius me gererem, et amita Augustula cubito impulit amitam Fridam, ut ad me prospiceret, et deinde ambae perquam desperatê ad lacunar prospicientes capita quassabant.

¹ *saluârius*, -iī m. orig. Förster.

² *éxcetra exsecrâbilis* orig. *verdamnte Wildkatze*. cfr *éxcetra*, -ae f. (PLAUT.Cas.644: de servâ procaci; LIV.39,11,1: de amatâ filii).

³ *Iosêphulus*, -i m. orig. *Pepi*.

⁴ *cōnsiliârius *telōniâlis* orig. *Zollrat*.

⁵ *paranympus*, -i m. orig. *Brautführer*. AUG.civ.6,9; 14,18.

⁶ »Heus, Deo gratias agamus, quod illae feliciter piscatae sunt praefectum militarem«. orig. *Na, Gott sei Dank, daß sie einen Offizier aufgegabelt haben*.

Tandem missa finita erat et nos omnes in sacristiam processimus. Tum incohatae sunt gratulationes abundantissimae; domini Bindingero manum porrigebant, et materterae et puellae omnes Mariam osculabantur.

Amita autem Augustula¹ et amita Frida ierunt ad matrem meam, quae iuxta stabat et lacrimabat, et dixerunt hunc diem esse felicem et matri et omnibus. Deinde etiam complexae sunt matrem meam eamque osculatae, et avunculus Iohannes, qui stabat iuxta me, petasum protendens dixit: »Attende, Ludovice, ne illae mordeant vetulam tuam matrem«.

Nunc mihi quoque eundum fuit ad Bindingerum, ut ei gratularer. Is dixit: »Gratias tibi ago et spero te inde ex hōc tempore factum iri meliorem«. Maria nihil dixit, sed medullitus me osculata est, et mater mea capite meo permulso lacrimans mihi dixit: »Nonne, Ludovice, mihi polliceris te inde ex hōc die factum iri hominem meliorem?«.

Paene flevi, sed hoc non feci, quia amita Frida in propinquo fuit oculosque suos virides in me tenebat directos.

Consilium autem cepi firmissimum, ne quas molestias facerem carae matri meae.

In *Caupōnâ ab Agnō* facta est cena nuptialis. Sēdi inter Maximilianum et Annam filiam amitae Fridae. E sede meâ vidi Mariam et Bindingerum; matrem meam non vidi, quia eadem latuit post magnum fasciculum florum. Primo nobis apposita est bona sorbitio, deinde piscis magnus.

Praeterea accepimus vinum album; dixi Maximiliano, ut experiretur, uternam nostrum hyalum ebiberet celerius. Ille hoc fecit, sed ego prius ebibi. Deinde puer cauponius iterum nobis vinum infudit.

Tum Iosephulus patruus hyalo impulso orationem habuit, qua dixit a familiâ celebrari festum pulchrum, cum eadem puellam florentissimam e mediâ parte suâ tradidisset viro forti, quocum vinculo coniuncta pro certo haberet rem evasuram esse bonam. Et Bindingero Mariaeque propinavit, ut ambo viverent crescerent florerent. Equidem cum ceteris fortiter conclamavi iterumque unâ cum Maximiliano expertus sum, uternam nostrum hyalum celerius evacuaturus esset.

Ille autem iterum a me victus hyalo vacuefacto vehementer erubuit. Deinde apposita est caro assata cum acetariis.

Subito iterum pulsatum est et surrexit avunculus Franciscus. Qui dixit hoc conubium eo praecipuê esse sollemne atque magnificentum, quod factum esset ipsâ in ecclesiâ praesente ministro Dei.

Si liberi educarentur more catholico, hoc esse meritum parentium.

Itaque post par coniugum iuvenile commemorandos esse parentes, praesertim illam mulierem, quae puellam tam excellenter educavisset. Et propinavit matri meae, ut viveret, cresceret, floreret.

De his verbis equidem vehementissimê gavisus clamavi voce sat magnâ et cum hyalo vini matrem accessi. Quae surrexerat eiusque facies clemens fuit ruberrima, cum propinabat omnibus cum collisu hyalorum².

¹ *Caupōna ab Āgnō* orig. *Gasthaus zum Lamm*. Cfr Karl Ernst Georges, *Kleines Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch*, 9.ed., Darmstadt (WB) 1969, col.2795 s.v. zu I),1): „**Auf den Schildern der Wirtshäuser heißt 'zu' im Lateinischen ab mit Abl., z.B. zum Hahn, a gallo gallinaceo (Inscr.).**“

² **(alculi propināre cum collisū hyalōrum)* orig. mit jm. anstoßen.

Mater autem iterum iterumque dicebat: »Utinam hoc expertus esset maritus meus« et avunculus Iohannes ei propinans cum firmo collisu hyalorum: »Verum enim vero« inquit, »iure oporteret illum nunc nobis assidere, et tu es sororcula mea vetula carissima«. Deinde uno haustu hyalum evacuavit et manum dedit omni praetereunti iterum iterumque dicens: »Hoc sciat diabolus, ille oporteret ut nunc nobis assideret!«

Accepimus etiam gallinam assatam et placentam et glaciem edibilem, et cauponius circumiens infudit vinum campanicum. Dixi Maximiliano: »Multo durius est uno haustu hoc vinum ebibere, quia eo modo fauces mordentur vehementissimê«. Ille hoc conatus est facere, et reverâ fecit, sed ego hoc non feci, sed consedi iuxta avunculum Iohannem.

Omnes erant hilares, praesertim iuenculae¹ ridebant satis magnâ voce, iterum iterumque propinabant. At amita Frida caput convertit ad illas et vegetê collocuta est cum amitâ Augustulâ. Audivi Fridam dicentem suâ aetate iuvenili iuvenes non fuisse tam liberas.

Amita autem Augustula dixit has nuptias esse aliquatenus prodigas profusasque, sed fratram² liberorum causâ semper fuisse nimis sumptuosam.

Tum tertio pulsatum est, et patruus Franciscus surrexit et dixit filium suum Maximilianum carmen esse recitaturum in honorem magistri sui venerabilis, sponsi felicis.

Conticuere omnes, et Maximilianus surrexit et conatus est incipere. At non potuit, quia concidit et facie fuit pallidissimâ.

Tum vehementer conclamatum est, et amita Augustula semper clamitabat: »Quidnam accidit huic puero?«

Plerique autem riserunt, quia viderunt Maximilianum esse inebriatum, et amita Frida adfuit ceteris Maximilianum in conclave iuxta situm ferentibus.

Puerum autem stibadio imposuerunt, sed cum îdem nausearet, amita Frida diu a nobis afuit, quia necessarium fuit, ut purgaret vestem suam. Eadem autem intrans mihi dixit Annam sibi iam dixisse me culpam contraxisse, sed nemo ad amitae verba attendit, quia Bindinger atque Maria abierunt.

Maria subito miserabiliter lacrimans iterum iterumque matrem amplectebatur. Bindinger autem iuxta eas stans vultum contraxit, quasi funeris esset particeps. Mater autem Mariae dixit haec: »Nunc quidem felix es, mi filiola! Nunc quidem habes maritum probum«.

Bindingero autem ea dixit: »Tune facies eam felicem, nonne? Tune mihi hoc polliceris?«

Bindinger autem respondit: »Quod conabor facere cum Deo«.

¹ **iuencula**, -ae f. orig. *junges Mädchen*. cfr VULG. Tim. 5, 2. TERT. adv. Iud. 9.

² **frâtria**, -ae f. orig. *Schwägerin*. PAUL. Fest. 90, 5. aut uxor fratris aut uxor fratris mariti.

¹ **amita Augustula** orig. *Tante Gusti*.

Deinde a Mariâ valedicendum fuit amitis materterisque, et vehementissimê flevit Lottula consobrina nostra, quae ipsa iam habet annos quadraginta, sed non habet maritum.

Tandem illis licuit abire. Bindinger autem praeiit et Maria lacrimis abstersis matri meae sub ianuâ etiam innuit valedicens.

»Eccillam abeuntem« mater mea perquam submissê dixit cogitabunda.

Lottula autem iuxta eam stans: »Ita abit« inquit, »ut agna abit ad lanium«.

Capitulum nonum

De infantula

Inter vacationem paschalem *Bindinger* et *Maria* venerunt, quia ille nunc non iam habitavit prope nos, sed professor fuit Ratisbonae.

Iidem secum attulerunt infantulam suam. Quae nunc est bimula et vocatur *Maria* nomine matris.

Sed a sorore meâ vocatur *Mimia*, a matre meâ vocari solet *Mimilia*.

Infantula qualis vocetur a *Bindingero*, non certê scio. Saepe quidem vocat eam puellulam, sed cum eâ colloquens plerumque ore acuto dicit: "Heus tu, heus tu, tu tu!"

Huius infantulae caput est permagnum, nasus tam simus quam nasus *Bindingeri*. Infantula autem per totum diem digitum tenens ori inclusum homines aspectat stultissimê.

Cum illi essent venturi, mater mea iit ad stationem ferrivariam et deinde omnes huc unâ vecti sunt raedâ meritoriâ.

Mater *Maria*que puellulam manibus porrectis huc duxerunt. *Bindinger* autem eas secutus est.

Per scalas ascendentes iam vividê inter se collocutae sunt materque iterum iterumque dicebat: "En nunc adestis, liberi! Babae, *Mimilia* quantum crevit! Hoc non putaveram!"

"Nonne, Mamma, tibine quoque sic videtur? Omnes homines hoc dicunt. Doctor *Steinger*, medicus noster, scin' ei hoc mirum videri? Nonne ille sic dixit, *Henricule*?"

Deinde audivi vocem *Bindingeri* gravem dicentis: "Rectê dicis, patet puellulam bene crescere, Deo gratias!"

Tandem illi supra advenerant, ego autem ad ianuam steti.

Soror me osculata est, *Bindinger* mihi manu porrectâ: „Ah, ecce studiosus noster! Nonne *Caesar* tibi nonnullas affert difficultates? *Gallia est omnis divisa in partes tres*, haha!"

Iam credebam illum velle me examinare, cum mater mea vocavit: "Heus *Ludovice*, nondum salutasti *Mimiliam*, quamquam nepticulam tuam vides primum omnium! En aspice illam! Quam cara et bellula est illa!"

Equidem illam nequaquam duxi bellam; quae talis erat quales omnes infantuli. At ego infantulam mihi placere simulans satis cômiter subrisi, ut mater mea bona gaudens *Mariae* diceret: "Viden? Statim scivi fore, ut ei *Mimilia* placeret. Ah quam lepida est haec puellula!"

In mediano ientaculum erat paratum; *Catharina* nostra iussa est afferre tomacula* necnon praebita est cervesia *Martia*.

Equidem cibus perfructus sum, sed alii comedendo non vacaverunt, quia semper semperque studebant infantulae curandae.

1 tomāculum, -ī n. orig. *Bratwurst*.

Quam voluerunt manûs suas monstrare, et cucullo deprompto apparuerunt infantulae cincinni flavi; tum denuo clamaverunt, quasi hoc esset aliquid insolitum.

Mater mea osculabatur caput infantulae et Maria iterum iterumque dicebat: "Heus Mimia, haec est tua avia!" Necnon Bindinger dorsum tam vehementer declinavit, ut prorsus erubesceret dictitans: "Tu, tu! Heus tu, heus tu!"

Tum Mimia subito cum vagiret, Maria matris auri aliquid insusurravit et ambae cum infantulâ celeriter sunt egressae.

Bindinger autem intra mansit, sed non consedit comesum, sed huc illuc ambulabat vultu anxio.

Deinde per ianuam vocavit: "Heus Maria, num quid gravius est factum?" Maria: "nequaquam!" inquit, "iam est transactum."

Deinde mulieres unâ cum infantulâ revererunt et mater mea:

„Eheu cogitate longum fuisse iter ferriviarium, postea ista insolita et tumultuosa! Istis omnibus gravatur puellula."

Equidem gavisus sum eas tandem sedere infantulamque stibadio imposuisse, nam tomacula iam refrixerant.

Nunc comedere et bibere coepimus hyalis in laetum Festum Paschale propinantes.

Mater mea dixit se iam diu non tam laetam fuisse quam nunc, quia nos omnes essemus congregati et Maria aspectu esset tam bono et Mimilia esset lepidissima. Necnon me melius hodie testimonium ex scholâ mecum apportavisse quam alioquin.

Iussus sum testimonium afferre Bindingero, et is notas recitavit.

"Hic discipulus quamvis sit modico tantum ingenio, si esset industriosior, meliora assequeretur."

Deinde notae indicatae sunt. Linguae latinae nota mea fuit III (tertia).

Bindinger: "Hm! Hm!" inquit, "haec congruunt cum expectationibus meis. Mathesis nota II-III (secunda ad tertiam), graecae linguae nota III-IV (tertia ad quartam)."

Tum ille ex me quaesivit: "Quare hac in disciplinâ tantulum assecutus es?"

Deinde mater mea: "De Graecâ linguâ" inquit, „Ludovicus saepe lamentatur; quae videtur esse difficilis."

Utinam ne mater me defendisset! Nam Bindinger nunc tot verba fecit, ut prorsus nauseâ corriperer.

Qui barbâ permulsâ se gessit quasi esset in scholâ.

Bindinger enim: "Quid est" inquit, „cur dicas talem sententiam! Animus meus contristatur, cum semper semperque audiam sententiam tam pravam. Nam ipsa lingua graeca propter suam symmetriam formarumque perspicuitatem est insigniter facilis. Quae discitur cum facilitate lusoriâ!"

Tum mater me interrogavit: "Si ita est, quare notam accepisti III-IV (terciam ad quartam)? Oportet nunc dicas, quae sit tibi difficultas, Ludovice."

Gavisus sum, quod Bindinger non exspectavit, quid dicturus essem. Īdem uno pede alteri imposito ad lacunar prospiciens etiam etiamque maiore voce loquebatur:

"Haha!" inquit, "graecam linguam esse difficilem! Non contradicerem, si loqueremini de dialecto doricâ, quia eiusdem sermone duriore quaedam oriuntur

difficultates. At quod dicitis difficilem esse dialectum Atticam, hanc felicem palaeoionicae dialecti efformationem! Hoc est inauditum! Ista sententia est opinio praeiudicata pertinacissima!"

Mater mea prorsus misera semper semperque dicebat: "At nihil dixi nisi... at quia Ludovicus..."

Maria eandem adiuvans: "Henricule" inquit, „ne obliviscaris Mammam hoc non dixisse malevolê."

Tum Bindinger loqui desiit et ego cogitavi istum adhuc tam stultum esse quam prius.

Tum Maria: "Scias" inquit, "Henriculum vehementer studere omnibus rebus, quae spectent ad professionem suam; alioquin est perquam clemens atque placidus; sed in talibus rebus facile fit, ut indignetur", et deinde mater mea mox denuo exhilarata est.

Quae dixit: "Talis debet esse; oportet in rebus professionalibus naviter studere. Tu autem, Ludovice, nunc scis, quam facilis sit lingua graeca. Quidnam nunc facit Mimiliola? Quae hîc sedet perquam placidulê nec dicit ullum verbulum!"

Matre aspectâ puellula risit. At subito ore aperto dixit: "Gugu - dada." Infantula pedibus palpitans manum erexit.

Ergo nihil fecit insoliti. Tamen omnes se gesserunt, quasi miraculum esset factum.

Mea autem mater prorsus consternata semper vocabat: „Audivistisne? Puellula! Gugu-dada!"

Deinde Maria: "Quae sentit bonum esse attam*. Nonne, Mimiola? Et caram esse aviola**!"

Tum mater mea: "Babae, quam sagax est haec puellula! Tantulâ aetate cum sit! Talem puellulam numquam vidi! En carum corculum!"

Bindinger tam vehementer risit, ut apparerent dentes eius magni. Dorso super mensam flexo digitorum ventri infantulae impingens dixit: "Exspecta, parvula, heus tu, heus tu!" Necnon ad matrem conversus: "Eadem cum sit animo vivo, circumiecta observat attentissimê. Spero fore, ut filiola mea pergat tam feliciter adolescere."

Mater voluit me quoque hoc videre, sed ego cum Bindingero irascerer interrogavi: "Quidnam dixit infantula?"

"Nonne audivisti eam perquam clarê dixisse: Gugu-dada?"

Tum ego: "Hoc valet" inquam, „prorsus nihil".

Maria autem voce perquam flebili: „Hoc valet attam esse bonum. Malevolus es, Ludovice!"

Nunc mater iracundê me aspiciens: "Quid est, cur hoc non intellegas? Hoc intellegitur ab omni homine".

At ego: "Ego hoc prorsus non intellego".

* **atta**, -ae f. (patris nomen puerile): orig. *Papa*.

** **aviola**, -ae f. (aviae nomen puerile): orig. *Oma*.

Tum Bindinger exclamavit: "Quia omnino nihil scis, puer male mōrate!" et eius oculi fulguraverunt, quasi in scholâ doceret irâ incensus; "si umquam cognoveris Aristotelem, comprehendes sermonem parvulorum esse onomapoeticum, quo verba confingunt sonos imitantes".

Iste vir tantâ voce rugivit, ut mirio* inciperet lacrimare. Tum Maria filiолâ bracchio impositâ huc illuc ambulabat. Mater mea iuxta eam ambulans dicebat: "Puellula nonne vult esse hilaris? Nonne vult loqui, gugu-dada?"

At Bindinger infantulam sequens dixit: "Hoc ne fiat! Ne loquatur filia mea hōc loco! Iste puer male mōratus expers est omnis reverentiae."

At equidem istud non flocci feci**.

* **mīriō**, -ōnis m. orig. *der Fratz*.

** **nōn flocci faciō** alqd. orig. *ich mache mir gar nichts daraus*. cfr PLAUTUS Rudens 795 minacias ego flocci non faciam tuas. id. Trin.918. TERENCEIUS, Eunuchus 411invidere omnes mihi ego non flocci pendere. CICERO, Epistulae ad Atticum 1,16,13 φιλοσοφητέον et istos consolatus non flocci facteon.

Capitulum decimum

Bona proposita

Subito fui vehementer pius. Per tres septimanas Falkenbergius magister noster religionis nos praeparabat ad communionem sanctam accipiendam et ego Friderico dixi: »Nunc debemus vivere omnino aliter ac antea«.

Etiam Fridericus subitâ pietate religiosâ correptus est, quia Falkenbergius aliquando vehementer flens dixerat se rationem reddere non posse, quod ad mensam Domini missurus esset puerum tam corruptum.

Nam nuper ante institutionem puerorum communicandorum ansa ianuae óblita erat sinapi, sed magister religionis putavit manum suam non esse óblitam sinapi, sed substantiâ aliâ.

Equidem scivi Fridericum hoc facinus fecisse, et iam gavisus sum Falkenbergium per ianuam iniisse, sed idem nos sivit per semihoram orare, ut transiret facinus impium. Precibus autem finitis Fridericus ex me quaesivit, num facinus orando sustulissemus. Ego autem respondi me hoc credere, quia alioquin Falkenbergius orare non desiisset. Tamen addidi: »Tu quoque, Friderice, debes fieri homo melior. Si conatus eris, bene assequêris.« Ille quaesivit, num ego hanc rem assecutus essem.

Respondi: »Equidem assecutus sum, quia nunc sum vehementer pius. Nam Stephania mea matertera, quae semper ad me attendit librum precatorium legentem, Iosephulo avunculo dicit mores meos aliquatenus esse mutatos. Quae credit me paenitentiam agere facinorum meorum, et ego quoque hoc credo, quia quamvis iam per quadrans horae orans nondum in animo habeo in materteram impetum facere.«

Fridericus aute dixit se cras paenitentiam suam incohaturum esse, sed hodie oportere, ut fenestram sutoris Rettenbergeri destrueret lapide iniciendo, nam illum pedello prodidisse se sigarum fumantem.

Dixi, ut exspectaret usque ad tempus post communionem, quia vellem particeps fieri ultionis, sed Fridericus dixit se non posse orare, quia esset plenus irae.

Rettenberger autem ridet quandocumque videt Fridericum, et heri clamavit post eum: »Ah tu pessime puer male môrate, nonne bellulê te deprehendi?«

Tum Friderico assensi, quia iste sutor confecerat facinus impudentissimum, et o quam libenter particeps factus essem ultionis!

At hoc fieri non potuit, nam paenitentiam iam egeram per octo dies, et nolui postea denuo incohare.

Eheu non facile fuit hoc perferre.

Matertera Stephania attendit, ne quid omitterem. Quae mihi dedit copias ciborum sat parvas affirmans oportere, ut peccator cottidie ieiunando se vexaret, sed ancilla mihi dixit illam esse parcepromam nihilque velle nisi pecuniae parcere.

Antequam cubitum ibam, debueram conscientiam meam perquirere; tum recitabam speculum confessorium et Iosephulus patruus et amita omnia explicabant. Avunculus Iosephulus est perquam pius. Qui est secretarius iudicialis, sed saepe dicit se voluisse fieri parochum, sed quia pecuniam non habuerit, studium theologiae finire non potuisse.

Cum is aliquando cum amitâ bellulê rixaretur, matertera dixit eum stultiorem fuisse, quam ut frequentaret gymnasium. Falkenbergius avunculum diligit, quia is persaepe ecclesiam frequentat et sibi omnia narrat quae homines dicunt in cauponâ colloquentes.

Mater mea ei scripsit, ut me adiuveret et doceret ad actionem illam sanctam praeparandam, ut tam pius fierem quam patruus ipse.

Quo lêcto avunculus Iosephulus gavisus omni die usque ad horam nonam adfuit habens pias homilias.

Aliquando e libro quodam recitavit cottidie esse conscientiam perquirendam more Sancti Ignatii.

Is enim omnia peccata sua libro inscripserat, quem supposuit pulvinari.

Quod etiam ego feci; sed postea oblîtus sum. E scholâ autem cum revertissem, avunculus Iosephulus me allocutus: »Anno proximo praeterito« inquit, »tu mihi e sacculo bracarum furatus es duas marcas.« Tum animadverti ille legisse verba a me ad conscientiam perquirendam libro inscripta, sed reverâ tantummodo furatus eram sexaginta peningos.

At matertera dixit, propter secretum confessionale servandum sibi non permissum esse, ut matri hoc scriberet.

Tum laetatus sum. Post cenam avunculus recitavit ‚Balneum animae’, cui inest fabula Sancti Antonii. Eundem enim adiit vir quidam, qui, cum multa peccavisset, voluit peccata sua confiteri. Vir sanctus autem eum adhortatus est, ut peccata sua notaret, et vir hoc fecit.

Quandocumque peccatum aliquod a se factum recitaverat, idem semper exstinguebatur.

Hac fabulâ bis recitatâ avunculus dixit materterae:

»Cara Stephania, nobis quoque huic casui mirabili inest praeceptum servandum. Si Deus peccata ignoscit, debemus exemplum sequi illius viri.«

Deinde matertera: »At mater eius« inquit »debet nobis dare pecuniam tibi surreptam«.

Tum avunculus: »Scilicet«, inquit, »hoc est necessarium propter iustitiam servandam«.

Nunc autem matertera: »At tu« inquit, »ne tantum pecuniae imponas sacculo bracarum! Quare tantum pecuniae tecum auferis in cauponam? Tres hyali cervesiae tibi sufficiant, qui constant triginta sex peningis; sed scilicet tu credas copae esse dandum corollarium – quasi tibi, qui accipias tantulo salario, aliquid supersit donandum!

Tum avunculus: »Istud« inquit »ne dicas coram puero. Quid is cogitet, si animus eius a te avertitur!«

At matertera: »Puer cogitet se mox tibi plus pecuniae surrepturum esse, si tantum imponas sacculo bracarum. Quis scit, quantum pecuniae iste tibi iam furatus sit. Scilicet to hoc nescis, quia non attendis tanta cum negligentia, quasi accipias salarium alicuius praesidentis«.

Tum ego dixi: »Sexaginta tantum peningos sumpsi«.

At avunculus: »Sacculo infuerant« inquit, »minimum duae marcae. Sed tibi ignoscam, si te sincerê paenituerit furti tui et si promiseris te istud vitium tui impugnaturum esse. Debes tibi proponere sanctissimê, ne umquam hoc denuo facias neve inducaris in tentationem neve umquam inspicias sacculum bracarum meum.«

Quibus auditis irâ incensus eram vehementissimâ, sed mihi non licuit hoc patefacere. Cogitavi me communionem transactâ isti tantum stomachum esse facturum, ut iram evomeret. Me fortasse trucidaturum esse istius pisces auratos aut aliquid simile.

Restiterunt autem quinque tantum dies ibi degendi.

Hôc anno etiam Annae licuit communionem participare, quae fuit filia materterae Fridericae. Me autem taedit ostentationis, quam parentes ideo faciebant. Nam Anna cum sit mala puella mendacissima, numquam dilexi, sed nunc etiam magis stomachor de istâ, quia matertera Friederica semper loquitur de istâ et tumescit inani superbiâ maternâ.

At matertera Friderica est optima amica materterae Stephaniae, et istae non inter se confabulantur nisi aliquid mali dicentes de matre meâ.

Vespere matertera Friderica saepius veniebat et cum audivisset nos facere pia exercitia, dixit patruo Iosephulo:

»Bonum facis isti catulastro; sed timeo ne non multum prosit«.

Deinde ex me quaesivit, num ego me ritê praepararem ad actionem sanctam suscipiendam.

Dixi me iam ex duabus septimanis ritum sacrum praeparare.

Tum ista: »Non omnes« inquit, »se praeparant eodem modo. O bone Deus! Nescio, quid dicam de Annulâ meâ. Quae ritui sacro praeparando tam vehementer est dedita, ut mihi paene iniciat timorem. Tantâ pietate imbuta, tanto desiderio communionis primae sanctissimae affecta esse mihi videtur filiola nostra! Et audite, quam pia verba faciat Annula nostra! Feriâ hebdomadae sextâ volui ei dare aliquantulum sorbitiunculae carnae, quia est tam infirma. At filiola eam sumpsit nullo pretio. Tum ego dixi hanc sorbitionem esse pusillam tantum rem. Tum Annula: »Nequaquam« inquit, »cara mater, quonam modo ea res, quâ Deus offendatur, est pusilla?« Haec autem cum dixit, oculi Annulae enituerunt. Tum ego sum attonita. 'Cara mater' – sic dixit filiola mea – quonam modo ea res est pusilla, qua Deus offenditur?'«

Matertera autem Stephania stupefacta caput huc illuc inclinabat, et avunculus Iosephulus lacrimosis oculis emissiciis me aspectans interrogavit: »Audisne hoc?«

Tum ego dixi me haec verba iam legisse, quia essent ex fabulâ viri sancti excerpta, quae inscripta esset nostro libro praeparandi.

Matertera Friderica erat indignatissima, quod ego illa verba iam noveram. Quae dixit se hoc non credere, quia ego semper mentirer, sed si esset verum, se hoc non flocci facere, quia dilucidê appareret, quantâ cum pietate Annula imbuta esset praecepto morali.

Necnon narravit Annulam heri non dormivisse et in lecto sedisse flentem. Itaque a se rogatam filiam respondisse: »Comêdi frustulum crustulae panis.« Deinde matertera Friderica rogavit: »Quidni comedas crustulam panis?« Tum

Anna: »Quia cena iam erat finita neque iam crustula destinata erant mihi, hoc feci iniustê, quamquam mihi tam firmê proposueram, ne umquam pergerem peccare!« et lacrimare perrexit. Matertera autem Friderica addidit: »En talem puellulam – quae mihi saepe videtur esse supratherrestris, neque possum eam tranquillare.«

Tum autem avunculus Iosephulus: »Ex alterâ parte« inquit »sunt parvuli, qui duas tresve marcas surripiant ex sacco bracarum, sed tamen nullâ vexantur inquietudine«.

Matertera autem Friderica istam rem cum iam accepisset a materterâ Stephaniâ: »Talis« inquit »infamia exsecrabilis efficitur educatione nimis clementi«.

Quia istaec omnia non potui, quin audirem, gavisus sum de die communionis sacrae. Cara mea mater mihi miserat synthesin vestium nigram et candelam magnam.

Quae mihi scripsit se dolere, quod non posset particeps fieri, sed monere, ut proponerem mihi melius vivere sibi que nihil afferre nisi gaudium.

Hoc quidem mihi proposui.

Nos fuimus quattuordecim pueri primo communicandi scholae Latinae, et uxor pedelli nobis dixit se non posse quin fleret, quia aspectu essemus tam sollemni quam esse solerent angeli. Fridericus lentê me praetergrediens paene vultu erat graviore quam ut a me cognosceretur.

Nos pueri statuti eramus in unâ parte, in alterâ parte statutae erant puellae, quae pertinebant ad scholam filiarum altiorum. Inter eas fuit Anna. Quae induta erat veste candida, capillis calamistratis. Quam allocutus sum in sacristia, antequam ingressi sumus in ecclesiam.

Puella dixit se hodie preces facturam esse quam ardentissimas, ut ego fierem homo melior.

Equidem non stomachatus sum, quia factus eram perquam pacificus, nec in ecclesiâ me ita gessi ut soleo. Prorsus non sensi, quamdiu tota missa duraret, et non deliberavi, quonam modo me postea essem gessurus. Opinatus sum nunc omnia esse alia. Multi parentes, qui adfuerunt, omnibus rebus finitis liberos suos osculati sunt, et ego adii materteram Theophaniam et avunculum Iosephulum.

Multi parentes, qui adfuerunt, omnibus rebus finitis liberos suos osculati sunt, et ego adii materteram Theophaniam et avunculum Iosephulum.

Tum matertera Friderica stabat apud illos me allocuta: »Tu quidem« inquit, habuisti candelam omnium crassissimam. Neminem ceterorum habuit candelam tam crassam quam fuit tua. Certê ista duabus ferê marcis carior fuit quam illa, quam dederam Annulae meae. At mater tua semper vult ostentando ceteros superare.«

Matertera autem Theophania dixit: »Scilicet hoc velle istam mulierem, quae nupserit magistratui altiori«

Tum cognovi illos minimê velle me relinquere pium et quietum; itaque cum Friderico decrevi, ut isti mulierculae dolum necteremus.

Qui etiam habitat in angiportu lato et potest inspicere habitaculum materterae Fridericae. Ibidem stat armarium speculo instructum; Fridericus autem habet pistolium pneumaticum.

At nunc subito speculum est foraminatum.

Capitulum undecimum

De puero honesto

Ad agricolam *Maculosum*¹ aestate vênit quaedam familia. Quae est valdê generosa necnon vênit ex Borussiâ.

Cum eiusdem sarcinae afferrentur, fui in statione ferriviariâ et minister stationis dixit necessarium esse, ut illi haberent multum pecuniae, nam omnes viduli confecti essent e mollissimo corio Russico².

Mater autem mea: »Ludovice« inquit, »illi cum sint homines elegantes, oportet illos semper salutes quam urbanissimê«.

Ille vir erat barbâ canâ, illiusque caligae clarê crepabant.

Illa mulier semper erat digitabilis induta, et si qui locus pavimenti erat umidus, illa „*huh!*“ clamans vestem tollebat.

Primo die quo illi hîc adessent, per vicum ambulaverunt. Ille vir domos aspectans pede constitit. Tum audivi illum dicentem: »Velim scire, quânam re illi homines vitam sustentent«.

Nos vespere visitaverunt modo cenantes. Mater mea salutavit, necnon Annula. Tum ille vir vênit unâ cum uxore suâ et interrogavit: »Quidnam hîc comeditis?«

Comêdimus autem pulmones cum globulis, et mater mea hoc illi dixit.

Tum ille rogavit, num semper comederemus globulos, illiusque uxor nos aspexit perspicillo nasicipite¹. Quod perspicillum non fuit verê nasiceps, sed parvo conto instructum et ab illâ poterat aperiri claudique.

Mater mea mihi dixit: »Surge, Ludovice, dominosque saluta«, et ego salutavi.

Deinde ille vir me rogavit, qualisnam discipulus essem, et ego respondi me esse discipulum Latinitatis. Mater autem mea dixit: »Ludovicus fuit in classe primâ eique licet ascendere. In institutione Latinâ accepit notam secundam«.

Ille caput meum palpans dixit: »En puerum sagacem! Licet tibi aliquando ad me venire et ludere cum Arthuro meo. Qui est tuae aetatis«.

Tum ex matre meâ quaesivit, quantum pecuniae acciperet in mense, et illa vehementer erubescens respondit se accipere centum decem marcas.

Ille autem uxorem aspiciens dixit: »Heus Aemilia, illi accipiunt ne quadraginta quidem thaleros«.

Et illa denuo perspicillum nasiceps oculis obtulit.

Deinde cum abirent ille tam clarê dixit, ut audiremus: »Utinam scirem, quânam re isti homines vitam sustentent.«

Postridie vidi Arthurum. Qui non erat tantâ staturâ quam ego et longis capillis umeros attingentibus necnon pedibus pertenuibus. Hoc vidi, quia is indutus erat bracis follicantibus².

¹ orig. *Scheckbauer*. <https://www.bayrisches-woerterbuch.de/scheck-derdie/>: „Scheck, der/die Schecke, Tier mit scheckigem Fell (Pferd, Rind)“. Nonne „*Scheckbauer*“ est is, qui colit vaccas maculosas?

² orig. *Juchtenleder*.

¹ *perspicillum nāsiceps* orig. *Zwicker*.

² *brācae follicantēs* orig. *Pumphose*.

Ei adfuit vir cuius naso perspicillum erat impositum. Qui fuit Arthuri instructor. Iidem stabant apud *Rafenauerum*, ubi homines fenum converrebant.

Arthurus autem digito illos indicans interrogavit: »Quidnam illi faciunt?«

Tum instructor: »Illi« inquit »fenum converrunt. Quod si satis torrefactum erit, pecora eodem cibabuntur«.

Apud me fuit *Laurentius Maculosus*³, et nos abdideramus, ne audiretur risus noster fortissimus.

Cum cenaremus, mater mihi dixit: »Dominus reveniens dixit, ut post meridiem visitares filium suum«.

Dixi me malle piscatum ire cum Laurentio, sed Anna statim in me invectus dixit me nolle ambulare nisi cum rupicibus⁴ agrestibus, et mater: »Decet te« inquit »esse cum hominibus elegantibus. Quo fit, ut discas mores bonos.«

Tum debui cum Arthuro ambulare, sed hoc me non delectavit. Manibus lautis et veste pulchrâ indutâ illuc profectus sum. Illi homines modo cafeam bibebant, cum ego vëni. Dominus adfuit et Domina et puella; quae fuit aetate Annae nostrae, sed pulchrius induta multoque crassior. Necnon adfuit instructor unâ cum Arthuro.

Dominus: »Hic« inquit »est amicus noster iuvenis. Arthure, porrige ei manum!« Deinde autem ex me quaesivit: »Hôc quoque die comedistis globulos?«

Dixi nos non comedisse globulos et consedi et accepi cafeam. Quae fuit inertissima¹. Arthurus autem nihil dicens semper me aspectabat, et instructor considebat perquam tranquillus.

Tum dominus ex eo quaesivit, num Arthurus pensum suum iam finivisset, et instructor dixit illum finivisse; inesse quidem nonnulla menda, sed iam animadverti Arthurum discendo progressum esse.

Tum dominus dixit: »Hoc est pulchrum, et tibi licet hodie post meridiem sôli ambulare, quia iuvenis discipulus Latinitatis ludet cum Arthuro«.

Instructor surrexit, dominus ei dedit sigarum² et dixit, ut attenderet, quia sigarum esset perbonum.

Illo profecto dominus: »En quam feliciter isti iuveni successit, ut a nobis abduceretur. Hôc modo îdem spectat multa pulchra«.

At puella crassa dixit: »Mihi videtur ille molestissimus; nam me aspectat oculis voluptuosis. Timeo, ne mox ita carmina pangat ut ille qui antea fuit apud nos«. Arthurus autem et ego mox surreximus, et ille dixit se velle mihi monstrare crepundia sua.

Qui habuit navem vaporariam. Eadem, quando elaterem³ convolveras, bellulê natabat. Huic navi inerant etiam multi milites plumbei atque nautae, et Arthurus dixit eandem navem esse bellicam et appellari »Borussiam«.

¹ **iners**, inertis orig. *fad.* cfr OLD p.892 s.v.iners: 5 c: "(of food) tasteless, insipid.... Vmber curuat aperlances carnem uitantis inertem HOR. sat. 2.4.41; blitum iners uidetur ac sine sapore aut acrimonia ulla PLIN.nat.20. 252; salem inertem PLIN.nat.31.82".

² ***sigarum**, -ī n. orig. *Zigarre*. cfr Angelo Perugini, Dizionario Italiano-Latino. Vatikan (Libreria Editrice Vaticana) 1976, p.1929.

³ ***elatēr**, elatēris m. *Feder (mech.)* Ronald Edward Latham, Revised medieval Latin word-list from British and Irish sources. Oxford 1965, p.162

At cum apud agricolam Maculosum minus esset aquae, quam ut appareret, per quantam distantiam navis posset natate, dixi necessarium esse, ut iremus ad Rafenauerum, quia ibi esset stagnum, ut delectaremur.

Arthurus statim gavisus est, et ego navem vaporariam manu mecum tuli.

At attā eius vocavit: »Heus pueri, quonam itis?« Tum ei dixi nos velle navem imponere stagno Rafenaueriano, ut bene nataret.

Mulier autem dixit: »At tibi non licet gerere istam navem. Nam tibi est nimis ponderosa«. Ego dixi me esse navem gessurum, et attā Arthuri risit et dixit: »Iste est Bavarus robustus. Qui omni die comedit pulmones et globulos. Hahaha!«

Nos autem perreximus prodire post agricolam Maculosum, trans pratum magnum.

Arthurus autem ex me quaesivit: »Nonne tu es robustus?«

Dixi facile fieri posse, ut ego luctando eum humum depellerem, si vellet hoc experiri.

At ille non ausus mecum luctari dixit se optare, ut esset robustior, quam ut a sorore supprimeretur.

Rogavi, num Arthurus a sorore vapularet.

Ille dixit se non vapulare, sed se, si ipse notam malam accepisset, a sorore suā, quae esset sapientiae praecocissimae, semper superbē doceri, quasi illi esset ius hoc faciendi.

Dixi me hoc iam scire; hoc facere omnes puellas, sed oportere, ne pueri hoc paterentur. Perquam facile esse Arthuro illas impedire, ne pergerent hoc facere, eo quod illis probē timorem iniceret.

Arthurus rogavit, quonam modo hoc fieri posset, et ego dixi lecto puellae imponendam esse caeciliam¹. Si tali bestiae incumberent, illas frigēre ideoque clamare terribiliter. Tum puellas promittere, ne umquam vellent iudicare sapientiā praecocissimā.

Arthurus dixit se non audere caeciliam lecto imponere, quia fieri posse, ut propter hoc facinus vapularet. At ego dixi eum, si semper plāgas timeret, numquam delectatum iri; tum mihi puer promisit se hoc facturum esse.

Equidem perquam gavisus sum, quia crassa illa puella mihi minimē placuit, et cogitavi istam oculos etiam latius aperturam esse, si sentiret caeciliam. Arthurus rogavit, num quam bestiam huiusmodi invenirem. Respondi me posse capere multas caecilias, quia novissem nidum horum reptilium in serratinā situm.

Necnon in mentem mihi incidit fortasse bonum esse etiam instructoris lecto imponere caeciliam.

³ **Laurentius Maculōsus** orig. *der Scheck Lorenz*.

⁴ **rupex**, -icis m. orig. *Bauernlummel*. cfr Karl Ernst Georges: Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch. Hannover 1918 (Nachdruck Darmstadt 1998), Band 2, Sp. 2429-2430: "**rupex** , icis, m. (**rupes**), der Steinblock, attrib. = steinern, roher, ungebildeter, bäuerischer Mensch, ein Klotz, ein **Rüpel**, Lucil. 1121. Gell. 13, 9, 5. Tert. de pall.4 u.a."

¹ **caecilia**, -ae f. orig. *Blindschleiche*, i.e. lacerta quaedam pedum expers.

Hoc placuit Arthuro, qui dixit se certê hoc facinus facturum esse, nam instructorem, si caeciliam expertus esset, tam vehementer timere, ut fortasse abiret.

Me rogavit, num ego non haberem instructorem, et ego dixi matrem meam minus pecuniae habere quam ut solvere posset pro instructore.

Tum Arthurus: »Hoc« inquit »verum est. Tales viri multo constant, et nihil accipio ex istis nisi molestiam. Ultimus instructor, quem habuimus, carmina pangebatur in sororem meam eademque pocillo illius cafeario supponebat; tum istum fugavimus«.

Rogavi, quare ille carmina pepigisset et quare pangere illi non licuisset.

Tum Arthurus dixit: »O quam stultus es. Ille enim in amorem incidit sororis meae, quae hoc statim animadvertit, quia ab isto semper aspectabatur oculis voluptuosis. Itaque oportuit ut istum fugaremus.«

Equidem cogitavi quam stultus fuisset ille, quod tantum laborasset crassae istius puellae causâ, quam ego certissimê non cuperem aspectare meque gaudere, nisi ista puella adesset.

Deinde venimus ad stagnum Rafenauerianum, et navem vaporariam stagno imposuimus. Rotae bene operatae sunt, ut navis aliquantum nataret.

Vadavimus etiam in stagnum et Arthurus iterum iterumque clamabat: »Io triumphe! Impetum facite in istos! Ad proelium sitis paratissimi! Agite pueri, iaculamini ex omnibus cannonibus! Sophos, catulastri!« Qui tam vehementer clamavit, ut erubesceret, et ego eum rogavi, quidnam hoc valeret.

Arthurus dixit hoc esse proelium navale seque esse Borussum archithalassum¹. Hunc lusum semper ludi a pueris Coloniensibus; primum se fuisse tantummodo nauarchum, sed nunc se esse archithalassum, quia ipse multis proeliis peperisset victoriam.

Deinde clamavit: »Retardate! Retardate! Sinistrorsum! Iaculamini! Vicimus! Vicimus!«

Equidem dixi: »Istud mihi prorsus displicet; stultum est, si nihil movetur. Si proelium fit, oportet fiant fragores. Infundamus pulverem pyrium, ut habeamus delectamenta.«

At Arthurus dixit sibi non permissum esse, ut luderet pulvere pyrio, quia hoc esset nimis periculosum. Omnes pueros Colonienses talia proelia committere sine pulvere pyrio.

At ego Arthurum irrisi, quia non esset archithalassus, nisi iacularetur globos cannonum.

Et dixi me hoc facturum esse, nisi ille auderet; me personam gerere nauarchi, ei nihil restare, nisi ut imperaret.

Tum ille exhilaratus dixit se hoc facere velle. Sed oportere, ut ego mandata sequerer accuratê, quia ipse esset mihi praepositus, et ut ignem efficerem, si ipse clamavisset.

Mecum attuleram fascem pulveris pyrii. Quem semper mecum gero, quia persaepe fabrico capsulas ignivomas¹. Necnon mecum attuleram funiculum igniarium².

¹ *archithalassus, -î m. orig. *Admiral*.

¹ capsula ignivoma orig. *Speiteufel*.

² fūniculus igniārius orig. *Zündschnur*.

Navem vaporariam attraximus. Eidem impositi erant cannones, qui foraminum erant expertes. Tum conatus sum invenire, quânam ratione aliâ posset displosio fieri. Visum mihi est stegâ sublatâ pulverem pyrium supponere, ut fumus exiret e foraminibus ad cannones spectantibus, ut crederentur cannones navi inesse veros.

Hoc feci. Necnon totum fascem pulveris infudi, ut fortius fumaret. Deinde stegam imposui funiculumque igniarium foramini inserui.

Arthurus interrogavit, num crepitus fieret sat bellulus, et ego dixi me quidem putare crepitum factum iri bellissimum. Tum Arthurus rapidissimê post arborem aufûgit et dixit nunc proelium incohatum iri. Iterumque clamavit: »Io triumphè! Heus nauarche, age pugna fortissimê!«

Elatere convoluto navem vaporariam tam diu tenui, usque dum funiculus igniarius arderet.

Deinde eam ictu propuli, ut rotæ operarentur et funiculus igniarius fumaret. Hoc fuit delectabile et Arthurus vehementer gavisus est et post arborem mihi mandata dare non desiit.

Rogavit, quare non fieret crepitus. Dixi, crepiturum esse, si funiculus igniarius arsisset usque ad pulverem pyrium.

Tum Arthurus capite porrecto clamavit: »Iaculamini e stegâ puppali!«

Subito ingens fragor factus est et sibilus et fumus crassus fuit supra aquam. Visa est res me praetervolasse, sed iam Arthurus coepit horribiliter ululare et caput manu tenuit. At non fuit nimis malum. Sed Arthuro nihil accidit nisi ex illius fronte effluxit aliquantulum sanguinis, quia res quaedam in eum proiecta erat. Puto eandem rem fuisse militem plumbeum.

Sanguinem e facie Arthuri detersi, et is rogavit, ubinam esset navis vaporaria. At nihil iam huius navis restitit nisi pars anterior in aquâ fluctuans. Cetera omnia per aërem disiecta erant.

Arthurus lacrimavit, quia putavit se a patre vituperatum iri, quod navis deesset. At ego dixi nobis fore Arthuri patri narrandum rotis bene operantibus navem natantem esse abactam, aut nihil dicendum esse neque domum eundum antequam obtenebresceret. Si sic faceret, neminem scire navem esse destructam, et si quis interrogaret, respondendum ei esse, eam supra esse, sed se nolle nunc nave ludere. Septimanâ autem transactâ Arthuro esse dicendum, navem subito non iam adesse. Fortasse eandem esse surreptam.

Arthurus dixit se hoc velle ita facere et exspectare, usque dum obtenebresceret.

At cum de hac re loqueremur, subito post nos strepitus factus est.

Raptim conversus subito vidi Rafenauerum accurrentem. Qui clamavit: »En deprehendi vos, catulastros spurcatissimos, miserrimos!«

Ego statim aufûgi, usque dum advenirem fenile. In idem rapidê me abdidi et illuc conspexi. Arthurus pede constiterat et a Rafenauero accepit alapas. Qui vir est moribus asperrimis.

Et îdem iterum iterumque clamabat: »Isti pueri spurcatissimi aliquando accendent domum meam. Qui furantur mâla mea et furantur pruna et domum meam pulvere pyrio sunt displosuri!«

Omni sententiâ dictâ puero alapam duxit tam vehementem, ut fieret crepitus. Iam sciveram illum indignari de nobis, quia ego atque Laurentius persaepe illi furaremur mâla, sed numquam ab eo deprehensi essemus.

At nunc Rafenauer deprehendit Arthurum, qui vapulavit loco nostrum.

Īdem autem cum puerum mulcare finivisset, abiit. Sed deinde pede consistens: »Vae tibi« inquit, »exsecratissime!« alapamque Arthuro superaddidit.

Arthurus autem flebat horribiliter nec clamare desinebat: »Istud narrabo attae meo!« Prudentius egisset, si aufugisset; nam Rafenauer vehementius anhelasset, quam ut potuisset eum persequi. Ut Rafenauerum aufugias, necesse est arbores circumcurrere, deinde ille pede consistens: »Aliquando« inquit »vos corripiam.«

Ego et Laurentius hoc scimus; sed Arthurus hoc nescivit.

Cum me misereret Arthuri tam miserabiliter flentis, post abitum Rafenaueri illum accurrens dixi ut perferret istanc rem et obduraret. At Arthurus lamentari non desinens semper clamabat: »Tu es nocentissimus; attam meum faciam certiore.«

Tum ego indignatus dixi stultitiam eius non esse meam culpam.

Tum ille dixit me destruxisse navem meque tantum strepitum effecisse, ut agricola adveniret sibi que alapas duceret.

Deinde Arthurus celeriter aufūgit et tantâ voce flevit, ut audiretur longê latêque. Me quidem puderet, si flerem tam vehementer quam puella. Tamen Arthurus dixerat se esse archithalassum.

Cogitavi bonum esse non statim proficisci, sed paululum exspectare.

Cum obtenebresceret, domum ii, et submissius praeterii domum agricolae Maculosi, quam ut aliquis me audiret.

Dominus ille et domina et puella crassa erant in trichilâ hortensil. Adfuit etiam agricola Maculosus. Trichilam inspexi, quia lumen ardebat. Puto illos de me locutos esse. Dominus semper caput quatiens dixit: »Quisnam hoc praeopinatus erat? En istum puerum male môratum!« Necnon puella crassa dixit: »Iste vult Arthurum lecto meo imponere serpentes. Quis umquam fecit tale facinus indignissimum?«

Non iam invitatus sum, sed quodcumque dominus ille me videt, baculo suo sublato vocat: »Te si umquam tenebo correptum...!« At ego non sum tam stultus quam Arthurus, qui, si audit persecutorem, pede consistit.

Capitulum duodecimum

Melioratio¹

Cum feriis paschalibus domum iter facerem, matertera Stephania dixit: »Fortasse visitabimus matrem tuam. Quae nos urgentius invitavit, quam ut liceat recusando eam laedere«.

Avunculus autem Iosephulus dixit se nescire, num venire possent, quia tot laboribus obrutus esset, sed procul dubio sibi non licere hanc visitationem differre. Ex eo quaesivi, num mallet aestate venire, nunc adhuc valde frigere, et neminem certo scire, num subito ingruerent nives vehementes. Tum matertera: »Non licet« inquit, »denuo hanc visitationem differre, alioquin mater tua hoc aegre feret, quia toties iam promisimus nos venturos esse«. At ego iam bene scio, quare illi venire velint; quia nos diebus paschalibus habemus carnes fumigatas et ova et placentam cafeariam, et avunculus Iosephulus devorare solet copias horrendas. Quod domi ei minus licet, quia matertera Stephania statim dicit, nonne consulat filio nutriendo.

Illi me comitati sunt ad laophorum cursuale euntem, et avunculus Iosephulus benigne mihi affirmavit se, si veniret, mihi affore, quod mitigare sciret tumultum testimonio meo pessimo effectum.

Avunculus recte dixit testimonium esse terribile, sed ego inveniam excusatiunculam. Non egeo avunculo ad talem excogitandam. Stomachatus sum, quod illi me comitati sunt, quia sigara¹ emere volui ad iter domum faciendum, sed propter illos hoc non potui. At Fridericus, qui in laophoro fuit, mihi dixit se habere sat multa sigara, et nisi ea sufficerent, nos posse sigara emere in statione *Mühdorpiensi*.

In laophoro² nobis non licuit fumare, quia adfuit *Zirngiebel* superior iudex municipalis cum Henrico suo filio, et scivimus eum esse amicum rectoris eique omnia proditurum esse.

Henricus statim ei dixit, qui homines nos essemus. Hoc ei in aurem insusurravit, et ego audivi eum meo nomine allato dixisse: »Iste est nostrae classis discipulus ultimus, qui ipsa in disciplina religionis accepit notam quartam.«

¹ cfr ThLL 08,617,62sqq.: **melioratio**, -ōnis f. a meliorare GLOSS.II 307,11 ἐπιβελτίωσις, -ο. 1 *de actu meliorandi*, i.q. *refectio in melius, correctio, emendatio*: a *rerum variarum*... b *hominum rerumve humanarum...naturae, condicionum...morum*: PHILO quaest. in gen. 4,172 p.219R. pro -e morum. 4,198 p.237 tuis -bus atque successibus. GREG.M.epist.7,4 p.445,9 subditorum (7,14 p.457,19,21). in euang.38,13 p.1290A vitae. moral. 24,19 p.297B, 28 pr.p.445 D. 32,43 p.661A. past.3,17 p.79B *syn.* profectum. 3,25 p.98A ne...viam sibi subsequenti -is abscondant...

Tum iudex municipalis superior me aspexit, quasi effugissem e therotrophio³; et subito mihi Fridericoque dixit:

»Heus pueri, velim detis mihi testimonia vestra, ut eadem comparem cum testimonio Henrici.«

Ego dixi me idem habere in vidulo, qui positus esset in tecto laophori. Tum ille risit et dixit se iam nosse istam excusatiunculam. Discipulos bona testimonia semper tenere in sacculo parata. Tum omnes homines in laophoro riserunt. At ego et Fridericus nos stomachati sumus vehementissime, usque dum *Mühldorpii* ascendimus.

Fridericus autem dixit se paenitere, quod non dixisset a nemine testimonium esse offerendum nisi a sociis fabrilibus, idque biocolytae⁴. At nimis sero hoc ei in mentem venit. In statione ferriviaria bibimus cervesiam, ut exhilararemur, et tramen ascendimus.

A conductore postulavimus, ut nos duceret in compartimentum fumatorium; venimus in tale, ubi iam homines infuerunt. Vir quidam crassus ad fenestram sedebat, et eius catenae horologii affixus erat magnus equus argenteus.

Cum is tussiebat, equus ventri suo impositus saltabat strepitumque efficiebat. In altero subsellio sedebat vir parvus perspicillo instructus, qui crassum semper appellabat nomine *Domini Consilarii Provincialis*, et crassum eum appellabat *Dominum Magistrum*. Sed nos iam animadvertimus eum esse magistrum, quia capilli eius non erant resecti.

Tramine profecto Fridericus sigarum accendit fumumque versus lacunar flavit, egoque etiam sic feci.

Mulier aliqua iuxta me sedebat, quae a me aversa se amovit meque aspectavit, et in altero compartimento homines surrexerunt et ad nos spectaverunt oculis torpidis. Nos autem summe gavisus sumus.

Tum vir crassus: »Sophos!« inquit, »Babae! Catulastrum adolescent!« et magister dixit, se non mirari de scandalis in ephemeride legentem, cum videret adulescentes tam efferatos.

Simulavimus rem non spectare ad nos, et illa mulier etiam etiamque magis se a me removebat, quia tantopere exsputabam. Magister autem oculis viperinis nos aspectabat, ut hoc aegre ferremus, et Fridericus quaereret, num scirem, quomodo fieri posset, ut discipuli primae classis Latinae tam male progredierentur. Tum magister tussivit vehementissime, et vir ille crassus quaesivit, num hodie prorsus deessent remedia, quibus mederetur procacibus pueris male moratis.

Magister autem respondit non iam permissum esse, ut talia adhiberentur, propter falsam humanitatem, et quia magister puniretur, si cuius discipuli pulsaret caput tantummodo aliquantulum.

Omnes homines in curru sedentes mussitaverunt: »Hoc est verum« et mulier iuxta me sedens dixit oportere, ut parentes gratias agerent, si quis nates contunderet¹ talium catulastrorum quam probissimè. Deinde iterum omnes mussitaverunt, et in altero compartimento magnus vir surrexit et dixit gravi voce bassa: »Eheu quantum doleo non iam esse parentes sat sapientes.«

At Fridericus istaec levi egit bracchio pedemque suum meo appulit, ut ego quoque hilaris fierem. Qui nascipium² suum caeruleum e sacculo sumptum naso imposuit, omnes homines aspectavit, fumum per nasum efflavit.

Cervesiam in proxima statione emptam celeriter ebibimus. Deinde hyalos e fenestra eiectavimus, ut custodem ferriviae (si qui esset) percuteremus.

Tum magnus ille vir clamavit: »Isti catulastri castigandi sunt!« et magister clamavit: »Ora opprimite, ne vobis alapas ducam!« Fridericus autem dixit: »Conare, si quidem satis audax es«. At magister non ausus: »Non iam licet« inquit, »alicuius discipuli caput pulsare, alioquin ipse punitur magister.« Magnus autem vir: »Sinas« inquit, »ego deprehendam istos catulastros«.

Idem enim fenestra aperta rugivit: »Heus conductor, conductor!«

Tramen modo constiterat, et conductor tam celeriter accurrit, quasi factum esset incendium. Qui rogavit, quidnam ageretur, et magnus vir respondit: »Isti catulastri per fenestram eiectaverunt hyalos cervesiariorum. Oportet istos comprehendere«.

At conductor ira erat incensus, quia senserat factum esse infortunium, sed nil ravius erat factum.

Qui viro dixit: »Propter istam rem quidnam tumultuaris?« Nobis autem dixit: »Vobis non licet hoc facere, domini mei«. Hoc cum mihi placeret, dixi: »Veniam peto, Domine Conductor Superior, nesciveramus, ubi hyali deponendi essent, sed nunc nullum iam hyalum foras proiciemus«. Fridericus autem conductorem rogavit, num sigarum fumare vellet, sed is respondit, se nolle, quia non fumaret sigara tam fortia.

Deinde ille abiit, et magnus vir considens dixit se putare conductorem esse Borussum. Omnes homines denuo mussitaverunt et magister iterum iterumque affirmabat: »Domine Consiliari Provincialis, crede mihi me vix animo temperare, sed non iam licet discipuli caput pulsare.«

Nos vehi perreximus, et in statione proxima iterum emimus cervesiam. Cum hyalum ebibissem, prorsus vertigine correptus sum et omnia mihi visa sunt circumverti. Caput e fenestra erexi, ut resipiscerem. At non resipui, et vehementer studui animum meum cohibere, quia putavi homines cogitare me impatientem esse fumandi.

At cum nihil iam aliud prodesset, celeriter petasum meum sumpsit.

Tum mulier illa prosiluit et clamavit, et omnes homines surrexerunt, et magister dixit: »En quid factum sit. Istud praedixeram«. Magnus autem vir in altero compartimento dixit: »En ex talibus catulastris fient anarchistae«.

Ego autem cogitavi me, si reconvaluissem, ne semel quidem sigarum fumaturum esse et semper obsequentem fore neque umquam matri effecturum esse aegritudinem.

Cogitavi quanto pulchrius esset, nisi nunc male me haberem, et perae meae inesset testimonium bonum, sed nunc me manu tenere petasum, in quem vomissem.

1 **natēs contundere** orig. *Sitzleder verhauen*. cfr GRIMM, Deutsches Wörterbuch, tom.2 (Biermorder-D), Leipzig 1860, col.1595, s.v.: „DURCHBRITSCHEN, durchprianschen, mit der britsche schlagen. Der vater hat den knaben durchgebriecht, einen stattlich durchprianschen *palma nates alicujus probe contundere* STIELER 1480.“

2 ***nāsicipium**, -ī n. (sc. perspicillum) orig. *Zwicker*.

Fridericus autem dixit se putare stomachum crudum factum esse botulo comeso. Me voluit adiuuare hominibus affirmans me esse fumatorem assuefactum.

At non probe fecit cum mentitus est.

Subito volui esse filius bene moratus et taeduit me mendacii.

Itaque Caro Deo pollicitus sum me nullum iam commissurum esse peccatum, si quid id effecisset, ut reconvalescerem. Sed mulier iuxta me sedens cum nesciret me velle meliorari, clamare non desiit quamdiu sibi esset patiendus foetor mei.

Tum Fridericus petasum e manu mea exemptum e fenestra protendens evacuavit. At tantum evomiti cecidit in tabulam calcatilem, ut streperet, et tramen cum in statione constitisset, expeditor accurrit clamans: »Quis istam fecit spurcitiam? Malum, nefas, conductor, qualis ista est latrina spurcatissima?«

Omnes homines ad fenestram prosiluerunt et ex fenestra prospexerunt oculis torpidis in tabulam calcatilem pollutissimam. Conductor autem venit et aspexit et rugivit: »Quisnam istam fecit spurcitiam?« Magnus autem vir ei dixit: »Est idem qui etiam lagoenas cervesiae abiectavit, quod tu ei permisisti.«

»Quidnam de lagoenis cervesiaris?« interrogavit expeditor. Tum conductor: »Tu quidem« inquit, »es vir improbus, cum dicis me permisisse, ut is puer abiectaret lagoenas cervesiaris.« »Qualis sum vir?« magnus dominus interrogavit.

Deinde conductor: »Tu es« inquit, »improbus vir mendax, nam hoc non permisi«. Expeditor autem dixit: »Noli mala verba facere. Oportet rem agere tranquille.« Omnes homines in tramine versantes huc illuc clamabant nos esse pueros pessime moratos ideoque esse comprehensos in vincula coniciendos. Maxima voce rugivit magister semper semperque dictitans se ipsum esse virum scholarem. Equidem cum nausearem, nihil dicere potui, sed Fridericus loco mei loquens ex expeditore quaesivit, num quis comprehendendus esset, si in statione ferriviae accepisset botulum venenosum. Denique expeditor dixit me non comprehendendum, sed tabulam calcatilem purgandam esse, meque debere pecuniam solvere pro purgatione. Quam constare unâ marcâ. Deinde tramen denuo profectum est, et ego semper caput e fenestrâ protendebam, ut melius me haberem.

Endorpii Fridericus exscendit, deinde stationem adveni meam.

Mater mea et Annula fuerunt in statione ferriviaria meque exspectaverunt. Adhuc aliquantulum male me habebam et ex capite dolebam.

Itaque gavisus sum noctem iam esse, ne appareret, quam pallidus essem. Mater mea me osculata statim rogavit: »Quam rem oles, Ludovice?« Annula autem rogavit: »Ubi habes petasum tuum, Ludovice?« Tum cogitavi, quam tristes illas futuras fuisse, si verum dicerem; itaque dixi me *Mühdorpii* comedisse botulum venenosum meque gavisurum esse thea chamomillae accepta.

Domum iimus et in mediano lampas ardebat et mensa erat strata.

Accurrit Theresia vetula coqua nostra, et me conspecto exclamavit: »O Iesu et Maria, puer noster quo aspectu est? Hoc factumst quod puerum nimis laborare iubes studiis suis doctis, Domina Saltuarii Superioris«.

Mater mea dixit me aliquid mali comedisse, et illa ut celeriter mihi coqueret theam. Tum Theresia cito coquinam petivit et ego consedi in stibadio. Iuvenulus canis noster iterum iterumque me assultans volebat abligurrire. Omnes autem gavisus sunt me adesse. Quo animus meus perquam mollis factus

est et cara mater mea cum quaereret, num probus fuisset, respondi, me talem fuisse, sed velle fieri etiam probiorem.

Dixi me botulo venenoso degluttito cogitasse mihi fortasse fore moriendum, et homines sensuros esse non dolendum esse de morte mea. Itaque mihi proposuisse, ut nunc alius fierem et omnia facerem, quibus mater mea delectaretur, et multa discerem neve umquam domum irem poenam daturus, ut omnes de me gloriarentur.

Annula autem me aspiciens: »Nonne« inquit, »tecum attulisti testimonium maxime miserabile, Ludovice?«

At mater sorori meae interdixit, ne me irrideret, et dixit: »Heus Annula, noli sic loqui, cum frater tuus aegrotans sibi proposuerit, ut inciperet vivere modo novo et meliore. Pro certo habeo fore, ut Ludovicus promisso suo stet meque multimodis delectet.« Tum ego non potui, quin lacrimarem, et vetula Theresia audivit me moriturum talia mihi proposuisse. Itaque illa flevit voce horrenda et clamavit: »Hoc fit propter studia docta nimisque laboriosa, isti puerum nostrum nimio labore conficient.« Tum mater illam consolata est, quia lamentari non desinebat.

Denique dormitum ii, et in lecto collocatus me habui suavissime. Mater mea per ianuam lanternam ad me protendens: »Heus mi puerule« inquit, cura ut quam optime recreeris.« Equidem diu vigilans muginabar, quonam modo nunc me gessurus essem quam probissimè.

Capitulum tertium decimum

Amita Frida

Mater mea dixit: »O bone Deus, perendie veniet glos.«

Tum autem tam acerbê gemuit, quasi *Bindinger* adesset et loqueretur de ingenio meo.

Necnon *Annula* pocillo suo cafeario seposito dixit sibi cafeam non iam bene sapere, nam certê amitam verbis laesuram esse Iudicem Officialem et omnia male evasura esse.

»Quâ re« inquit »illam invitasti?«.

Mater mea: »Non invitavi.« respondit, »Ista semper venit ultro et suâ sponte.«

Equidem: »Necesse est« inquam »istam foras eicere«.

Mater mea: »Tibi« inquit, »non licet loqui tam indecorê. Oportet ne obliviscaris illam esse sororem Attae tui defuncti. Ceterum minor natu es, quam ut iudices de illâ«.

Equidem dixi: »At ista vobis prorsus diplicet, et honorem laedit Iudicis Officialis; quo fiet, ut is *Annulam* non ducat in matrimonium, quamquam tantopere gaudet de nuptiis faciendis. Fortasse amita dicet illum esse strabonem«.

Tum autem *Annula* mihi acclamavit: »Is non est strabo, tu puer male môrate et impudentissime! Nunc iste enuntiat me nupturam esse, ut homines hoc circumcirca enarrant. Non, non, istud non iam patior, abibo in terras longinquas et munus suscipiam.«

Tum mater mea prorsus misera exclamavit: »Ah puellula mea, noli flere. Omnia bene evadent, et, in nomine Dei, praeteribit etiam visitatio amitae.«

Haec facta sunt die Lunae, et die Mercurii vênit illa. Nos omnes tres adiimus stationem ferriviariam, et mater mea iterum iterumque dicebat: »Heus *Annula*, fac ut subrideas! Alioquin iam hodie molestias patiemur.«

Tum tramen sibilavit, et illa descendit et exclamavit: »O Deus! O Deus! En omnes vos adestis! Oh, quam vehementer gaudeo! Velim adiuvetis me, ut efferam sarcinas meas!«

Nunc amita in currum clamavit scatulam esse suam, et vidulum sêdi suppositum esse suum, peram supra positam esse suam et caveam in parte posticâ positam, cui inesset psittacus, esse suam. Aliqui vir omnia isti extulit, et ista mihi omnia tradidit, sed ego dixi vidulum esse nimis ponderosum, me non posse eundem portare. Tum ista: »*Annula*,« inquit, »te certê adiuvabit. Vos estis iuvenes atque robusti. Sed *Lorulam* meam ipsa feram.« Tum adibit matrem meam eamque osculata est et vociferata: »Gaudeo, quod te video bene valere, nam saepe sollicitor propter morbum cordis, quo tu laboras, sed attende, ne tangas caveam, nam *Lorula* mea non patitur quassari.«

Mater mea vidulo magno aspecto sensit eundem fortasse melius portari a baiulo stationis, sed amita dixit: »Non, non patior tibi pecuniam esse erogandam; certê liberi tui vidulum sustinebunt.«

Annula conata est vidulum sustinere. Sed hoc ei non contigit, quia vidulus fuit nimis ponderosus. Tum advênit Aloisius, qui est baiulus stationis, et is vidulum sumpsit.

Deinde amita matri iterum dixit sibi displicere nobis pecuniam esse erogandam, neque se scivisse Annulam tam esse imbecillam. Sed modo sibi in mentem incidisse illam iam infantem fuisse nimis teneram. Fortasse Annulam heredio materno accepisse morbum cordis.

Mater autem: »At ego« inquit, »Deo gratias ago, quod bene valeo, et medicus nihil iam invênit morbi«.

Tum amita est vociferata: »Vah, isti medici! Iosephi mei miseri valetudinem examinantes etiam nihil morbi invenerunt, usque dum mortuus est, et saepe medici nolunt loqui de morbo«.

Deinde domum iimus.

Cum ibamus, Annula mihi insurravit: »Videbis istam mansuram esse per feriarum spatium totum.«

»Hoc« inquam, »non puto. Si ista manere voluerit, aliquid inveniam, quo efficerem, ut ista abeat«.

Tum Annula clam risit, cum alioquin semper infelix sit, si quam technam commisi. Sed nunc eadem risit et ex me quaesivit: »Quid vis facere?«

Dixit: »Hoc adhuc nescio. Fortasse caveae psittaci imponam *diabolum ignivomum**, aut pennas ei evellam, ut nudus fiat, aut faciam quidquid aliud. Non antea dici potest, quid faciendum sit, quia primo investigandum est, quâ re illa maximê irritetur.«

Annula autem susurravit: »Si quid inveneris, quo illa abeat, donabo tibi duas marcas.«

Equidem »Rectê dicis,« inquam. »Sed primo oportet mihi des marcam, quia sumptûs mihi erunt solvendi.« Marcâ promissâ domum vênimus.

Nobis nunc fuit ad ianuam exspectandum, quia mater cum amitâ tardius iens retardata est.

In androne domestico amita dixit: »In nomine Dei, denuo hic adsum. O quam bellula est domuncula tua! En habes longum tapetulum cocoinum*!«

Mater mea dixit andronem hieme vehementer frigidum esse, et se hoc tapetulum emisse valetudinis causâ.

Tum amita: »Unum tantum metrum« inquit, »certê constat quattuor marcis. Sed venalia prostant etiam tapetula satis bellula sesquialterius marcae pretio«

Deinde amita iit in conclave suum, et ego sarcinas eius importavi. Ea caveam mensae imposuit psittacoque dixit: »En Lorula adsumus, et delectabimur.« Tum autem amita ore cancellis appresso avem allexit: »Su su! Ubinam est Lorula mea bellula?« Psittacus capite seorsim verso in conto sedens lapsus est ad amitam rostrumque suum istius ori infixit.

Quod equidem non fecissem, etsi ista amita mihi donasset saccum mâlorum aut placentam tortam.

At psittaci omnes sunt taediosi. Deliberavi, num etiam iste ad amitam allaberetur, si nonnullas pennas isti evulsissem, et qualis esset istius aspectus, si in propinquo disploderetur fasciculus pulveris pyrii.

Fortasse amita animadvertit, quid cogitarem, nam eadem conversa dixit: »Stude« inquit, »ut decenter cures Lorulam, puer male môrate!«

Tum ego: »Curabo eum« inquam, »quam decentissimê, cara amita.«
Constiti autem et vocavi: »Lorula! Ubi es?« At psittacus statim absilit et in angulo considit et pedem tollit. Oculos autem raptim aperuit, quasi iam sciret me sibi mox daturum esse pulverem pyrium. Foras ii, et amita statim iit ad matrem meam in medianum.

Tum mihi in mentem vênit aliquid restare faciendum, et celerrimê ii in conclave amitae et ex urceo ôs complevi aquâ. Deinde ii ad caveam, et psittacus iterum seorsim lapsus est, et ego ei insparsi nebulam Hispanicam, ut caput intraheret et âlis plausitaret.

Tum cito abii in medianum. Mater mea amitae dedit aliquid comedendum, et ambae inter se colloquebantur de valetudine suâ.

Amita dixit sibi valdê necessarium esse, ut pecuniae parceret, quia haberet tantummodo pauxillulum pensionis et nihil pecuniae. Se valdê gavisuram fuisse, si possessiunculam heredio acceptam haberet, sed Iosephum suum nihil salarii comparasse, quia parum fuisset et quia Iosephus sigara fumasset et bis in septimanâ in cauponam iisset. Neque se quid a parentibus accepisse, quia fratres sui disciplinis cognoscendis studentes nimium pecuniae consumpsissent.

Tum mater mea dixit patrem meum, cum studiosus esset, non multam pecuniam erogavisse.

Tum amita: »Unde hoc scis?« - Deinde mater mea: »Ille mihi saepe hoc narrabat. Qui in guminasio per horas discipulos instituebat, et cum esset in scholâ saltuariâ, docuit iuvenem baronem.«

Amita autem respondit »Hoc dixit, sed non fecit« et magnum frustum farciminis sublabravit*.

Mater mea vehementer erubuit, mitrâ capillis firmiter affixâ: »Nequaquam, Frida« inquit, »maritus meus in totâ vitâ suâ ne semel quidem dixit aliquid non verum.«

Amita primo tacuit, ut farcimen posset masticare, et nasum perfricuit. Deinde perrexit loqui. »Si per horas docuit, velim scire, quonam modo tantum pecuniae consumpsit. Ego hoc melius scio, et nos tres sorores egestatem passae sumus, quia nulla possessio adfuit et nulla nostrum aliquid pecuniae accepit.«

»Cur semper loqueris de talibus rebus?« mater interrogavit.

Tum illa: »Quidni eloquar?« inquit, »Nil dico nisi verum. Exempli gratia Römer ille assessor me libenter aspectabat, qui nunc est consiliarius gubernationis Ansbacensis, et me in matrimonium duxisset, si quid dotis habuissem, sed quia nihil habui, nulli viro nubere potui nisi expeditori cursuali.«

Tum mater: »At feliciter vixisti cum Iosepho tuo!«.

»Deus eum beatificet!« amita vocavit. »Satis feliciter viximus, sed ego nunc essem consiliaria gubernationis Ansbacensis, nisi fratres nostri totam pecuniam consumpsissent.«

Equidem terribiliter stomachatus sum, quod ista tam malevolê loquebatur de patre nostro, et deliberavi, num fortasse iam hodie psittaco paraturus essem pyrotechnema*. An celeriter etiam istam avem aspersurus essem nebulâ Hispanicâ.

Sed amita surrexit, quia mater mea exiit, itaque animadverti me hęc momento dolum nectere non posse.

Amita autem per conclave ambulans omnia aspexit.

Sub cornibus cervi pendeat imago patris mei, qualis fuerat alumnus academicus. Qui erat instructus acinace magnisque caligis. Mater mea semper dicebat hęc fuisse aspectu illum, cum primo a se aspiceretur. Illo tempore studiosi fecerunt pompam faculas manu gerentes, et pater meus praeiit. Amita autem hac imagine aspectâ: »En hęc« inquit »patet perquam dilucidê, ubi ille tantum pecuniae erogaverit!«

Deinde amita constitit apud arcam vestiariam. Ibidem Annula deposuit photographema Domini Iudicis Officialis, et eodem statim conspecto amita ex me quaesivit: »Quisnam hic est?« Dixi eum esse nostrum Iudicem Officiale. Tum illa rogavit: »Quis est noster Iudex Officialis?«

Dixi esse eum, qui venire soleret, ut nobiscum cafeam biberet, eumque nomine esse *Doctoris Steinberger*.

Tum imagine sumptâ amita dixit »Verumne? At iste mihi nullo modo placet, iam est calvaster et oculis est satis perversis et facies eius est tam crassa, ut videatur bibulus esse«. Mihi quoque ille *Steinberger* non valdê placet, quia mihi dixit oportere, ut decenter me gererem in sororem meam, alioquin me auriculis prehensum iri.

Saepe autem Annulae demonstro, quam limis oculis ille sit, et deinde illa lacrimat. Tamen stomachatus sum amitam nunc aliquid mali de illo dicere, quia iam mala dixit de patre nostro.

Deliberavi, num fortasse in coquinam irem et illis hoc dicam, sed si ita fecissem, cenam non fore bonam, quia mulieres semper exirent et lacrimarent, ut oculi iis lavandi essent. Itaque constitui, ut iis hoc dicerem cenâ finitâ.

Deinde mater mea in conclave iit et amitae manum porrexit et dixit se antea paululum stomachatam esse, sed se scire, rem fortasse non rectê factam et nunc transactam esse.

Amita autem naso fricato dixit non oportere, ut aliquis stomacharetur, si audiret veritatem. Nam ista amita est terribiliter improba.

Tum exii et mater mea vocavit: »Quo abis, Ludovice? Sumus cenaturi.« Ego autem dixi mihi celerrimê ediscendum esse verbum temporale irregulare, quia oblîtus essem, quomodo idem verbum coniugandum esset.

Tum mater mea clementer subrisit et dixit rectê fieri, ut studerem verbo irregulari ediscendo, et semper quam celerrimê esse alicui id faciendum, quod ut faceret sibi proposuisset.

Mater autem amitae dixit: »Heus Frida, puto Ludovicum nostrum nunc consilium concepit firmissimum, ut quam optimê progrediatur in guminasio.« Sat magno cum strepitu conclave meum adii et ianuam aperui, sed deinde perquam submissê summisque digitis pedum ii in conclave amitae. Psittacus autem me statim conspexit, a conto absiluit, in angulum prorepsit. Cito hyalum aquâ complevi avemque adii et bis eam aspersi, ut ex âlis suis madidis aqua destillaret.

Tum psittacus oculos conclusit et terribiliter sibilavit, quasi ego sibilarem per digitos, et clamavit: »Lora!«

Tum properê foras exii, conclave meum ingressus librum sumpsit. Psittacus iterum sibilavit, et statim audivi ianuam mediani aperiri et amitam celeriter illuc euntem dicere: »Nescio, cur vocet Lorula.«

Deinde paulisper fuit silentium, sed tum illa clamavit in conclavi suo: »O quanta est ista improbitas! O misera bestiola mea!«

Tum amita matrem meam advocavit, ut adveniret spectatum, quam madida facta esset Lorula, quod a nemine fieri potuisset nisi ab isto puero male môrato et inutilissimo.

Qui puer sum ego.

Matre meâ conclave meum inspiciente ego murmurabam, quasi ediscerem formas verbi irregulares.

Tum ea: »Ludovice« inquit, »tunc psittacum madefactasti?«

Equidem vultu prorsus distorso e libro meo illam conspexi.

»Qualem psittacum?« quaesivi.

»Psittacum amitae,« illa dixit. Tum aspectum praebui hominis prorsus laesi atque offensi. Dixi autem, cur ego semper accusarer, mene nihil fecisse nisi edidicisse verbum irregulare, et nunc subito me accusari psittaci madefactati.

Amita etiam ad ianuam advênit et vocavit:

»Quisnam hoc fecit nisi tu?« Dixi me hoc nescire, fortasse hoc fecisse *Michaelem* fabrum scriniarium, qui haberet siphonem lignarium, quo iaculari posset per ingens spatium.

Amita dixit, ut secum irem, ut hanc rem investigaret, et mater etiam nobiscum iit.

Cum conclave intraremus, psittacus statim caput sub âlas abdidit et terribiliter sibilavit et oculos versus me detorsit.

Tum amita clamavit: »Viden, is hoc fecit! Lorula mea tam prudens est!«

Mater mea: »At Ludovicus« inquit, »studuit verbo suo irregulari ediscendo!«

Deinde amita: »Tu« inquit, »semper credis liberis tuis. Itaque isti tales facti sunt, quales sunt.«

Ego autem ex fenestrâ despiciens dixi me putare Michaelem super saepimentum horti aquam sparsisse ad nos, quia fenestra aperta esset. At amita contra dixit saepimentum esse nimis remotum, fenestram nostram nimis altam, neque in eâdem esse ullum aquae vestigium, sed eandem esse ne pauxillulum quidem madidam.

Dixi Michaellem esse collineandi peritissimum, sed me ipsum nullo modo hoc fecisse.

Tum Annula vocavit, ut cenatum veniremus, sorbitionem iam mensae esse impositam, itaque nos iimus cenatum.

Psittacus autem semper se quassabat et pennas erigebat, et amita dixit: »Lorula mea ne sollicitetur. Equidem non iam patiar Lorulam madefactari.«

Et eadem me aspectavit vultu torvissimo, necnon psittacus me aspectavit vultu torvissimo.

At ego cogitavi istum etiam torviore vultu me aspecturum esse pulvere pyrio disploso.

Cum cenaremus, amita adhuc erat irâ incensa; quod patebat summo naso eius perquam albicante et sorbitione, quam eadem cochleari vehementer peragitabat.

Mater mea dixit ne illa desineret gaudere de adventu suo.

Tum amita dixit se omnis gaudii esse expertem, si primo vituperaretur, quia verum dixisset, et deinde, si bestiola sua auxilii expers terreretur mortiferê.

Tum mater mea: »Ah Frida!« inquit, »huic avi nihil accidit nisi madefacta est!« Annula autem dixit nulli avi nocere paululum balneari.

Tum amita dixit se nequaquam mirari nos omnes tam hostiles esse, quia iam esset consueta ad hanc rem, et quia fratres sui tales fuissent et totam iam pecuniam consumpsissent.

Amita autem lacrimare simulavit et oculos deterisit. At reverâ nullae lacrimae eius oculis infuerunt. Quod clarê vidi.

Deinde mater mea gloriâ suae tam vehementer miserita est, ut diceret nos omnes eam diligere, quia esset soror Attae nostri carissimi, et ut ea apud nos versans sibi videretur versari domi suae.

Tum amita dixit se nobis nunc velle ignoscere, et non iam velle cogitare de omnibus istis molestiis, quae sibi a familiâ essent iam allatae.

Subito amita est exhilarata, et cum assum sibi esset propositum, fuscinulâ indicavit arcam vestiariam, ubi fuit imago Steinbergeri, et interrogavit: »Quis est iste vir foedus?«

Mater mea »Ubi?« quaesivit. Amita respondit: »Iste vir arcae vestiariae impositus.«

Mater mea prorsus erubuit, et Annula prosiluit et foras cucurrit, et per ianuam auditus est sororis fletus.

Mater mea mitellâ ordinatâ dixit Steinbergerum saepe nos visitare eundemque nequaquam esse foedum.

Tum amita: »At iste est calvus necnon est oculo sinistro perverso.«

Mater mea: »Qui non est« inquit, »strabo, hoc photographema est male confectum, et generaliter feliciter accidit, si quis eum noverit, quia est vir probissimus«.

Tum amita dixit se nolle in familiâ rixam efficere propter virum extraneum, sed se non credere istum esse probum, quia praeberet aspectum viri bibuli cervesiam nimis amantis.

Tum mater mea etiam exiit, et apud ianuam constitit et dixit se consilium firmê concepisse, ne hac in mansione cum amitâ bellum gereret, sed hoc esse ingentis difficultatis.

In androne amita cum Annulâ collocuta est; hoc audivimus, et Annula etiam etiamque maiore cum strepitu lacrimabat.

Amita autem cenare non desinebat et iterum iterumque caput quassabat, quasi vehementer miraretur.

Eadem ex me quaesivit, num Annula iam diu tam vehementer aegrotaret. Ego: »Ea« inquam »omnino non aegrotat«. At illa: »De hac re« inquit, »tu nihil scis«. »Soror tua valdê laborat nervis suis defectis, quia subito non potest, quin lacrimet et ego iam semper dicebam illam esse imbecillam, alioquin etiam vidulum meum portavisset.«

Deinde mater mea subito reversus cito vocavit Iudicem Officiale venturum esse ad cafeam bibendam, seque amitam orare, ut esset urbana.

Tum animo laeso amita dixit, num mater crederet se esse parum urbanam, quia nupsisset expeditori cursuali? Se certo scire, quomodo deceret se gerere, ceterum aliquem iudicem officialem non multo pluris valere quam expeditorem.

Mater mea semper spectabat versus ianuam, num fortasse iam aperiretur, et susurrabat, ne amita clamaret, illum iam in scalis versari, sed ipsa hoc non putavit, sed dixit, quia amita credidit *Steinbergerum* esse foedum.

At amita non submissius locuta est, sed magnâ voce dixit: »Nemo est pulcher, qui calvus est et strabo.«

Tum mater mea desperatê lacunar aspectavit fletura, sed subito ianua aperta est et *Steinberger* intravit necnon Annula, eiusque oculi adhuc erant rubri.

Matri meae nunc non iam licuit flere, sed eadem cômitem subridens: »Domine Iudex Officialis« inquit, »valdê gaudeo, quod advenisti, et apud te introduco caram glorem meam, de quâ tibi iam narravi.«

Steinberger autem dorsum deflexit, et amita eum aspectavit, quasi ei confectura esset novam synthesin vestium.

Deinde autem *Steinberger* dixit se gaudere, quod amitam cognosceret et sperare se ipsum eidem placiturum esse. Illa autem dixit se quoque hoc sperare, et nisi quis quid mali facturum esset psittaco suo, sibi quoque placere hîc loco versari.

Steinberger autem haec verba non audivit, quia Annulam aspectavit, et quaesivit, cur illius oculi essent rubri.

Annula dixit sibi reparandum esse focum, quia fumaret terribiliter. Tum amita dixit ne Annula cibos coqueret, quia ei essent nervi nimis infirmi, et quia ea esset imbecilla.

Tum mater mea oculis iratis in amitâ defixis rogavit: »Quid tu scis de nervis? Deo gratias ago, quod Annula est puella omnium valentissima et omni die cibos coquit et facit omnia opera domestica.«

Tum amita risit, quasi hoc melius sciret, et deinde consedimus et Annula exiit cafeam coctum.

Steinberger autem ex amitâ quaesivit, ubi habitaret, et illa dixit se habitare *Erdingae*, quia ibi habitatio esset tam vilis sibi que esset pensio tam modica, et deinde ex Iudice Officiali quaesivit, num quando fuisset *Ansbaci*, et ille dixit se iam ibi fuisse. Tum amita ex illo quaesivit, nonne novisset *Römerum* Consiliarium Gubernationis, et cum ille respondisset se *Römerum* ignorare, amita dixit, se non posse quin miraretur, nam illum esse perquam bene nôtum. Tum *Steinberger* dicit se semel tantum pervectum esse *Ansbacum*, et mater mea dixit, itaque fieri non potuisse, ut *Steinberger* novisset officiales *Ansbacenses*.

At amita dixit *Römerum* esse officialem altioris gradus, eundem esse sub praeside officialem proximum, ideoque necessarium esse, ut nosceretur. Necnon amita narravit paene futurum fuisse, ut ipsa nuberet *Römero*, sed hoc fieri non potuisse, quia ipsa esset e gente nata, in quâ omnes filii studerent disciplinis cognoscendis. Mater mea alioquin semper ibat in coquinam et sinebat Annulam medianum introire, quandocumque *Steinberger* aderat, sed illo die non exiit.

Puto eam non ausam esse abire, ne amita cito aliquid diceret indecorum, ideoque mater semper in sessibulo sedens huc illuc labebatur et ex amitâ quaesivit, ut valeret *Maier* saltuarius, num bene valeret eius uxor, et ubi eorum liberi essent, et num adhuc ei esset pulcher ille canis gallinarius; tum amita non potuit, quin semper responderet, et quando finiverat, volebat cito alloqui *Steinbergerum*, sed mater mea statim aliquid aliud ex illâ quaerebat.

Tum *Steinberger* surrexit et dixit se velle videre, num focus adhuc fumaret.

Cum ille foris esset, mater mea laetê risit dicens illum esse semper urbanum.

Amita autem dixit photographema *Steinbergeri* sibi videri pulchrius quam verius, quia ille reverâ esset oculis etiam perversioribus.

At mater mea non iam stomachata est nihilque nunc quaesivit ex amitâ de *Maiero* saltuario eiusque liberis et sedulê acu pingebat.

Tum Annula intravit cafeam pocillaque apportans, et *Steinberger* eam sequens quaesivit, num posset adiuvare.

Deinde cafeam bibimus, et mater mea ridebat, quandocumque *Steinberger* aliquid dicebat, et Annula ridebat, sed amita non risit, et semper nasum fricabat.

Mater mea quaesivit, num cafea saperet, sed illa dixit se hoc nescire, quia non esset assuefacta ad cafeam, quia modicâ suâ pensione non posset emere cafeam fabaceam.

Tum *Steinberger* dixit, se hoc dolere, nam cafeam esse omnium rerum optimam, praesertim cum Dominula Annula eam coxisset.

Amita autem ex eo quaesivit, num semper cafeam tantopere dilexisset, et ille dixit, semper eam dilexisse. Tum illa risit et dixit se hoc non credere posse, quia studiosi libentissimê biberent cervesiam.

Tum ille etiam risit et dixit se non multum cervesiae bibisse, quia debuisset industrius esse nec multum pecuniae habuisset.

Sed amita iterum dixit se hoc non credere.

Tum mater mea: »Cur« inquit, »hoc non credis? Nonne multi sunt alumni academici, qui non bibant cervesiam? Dominus Iudex Officialis non vacabat huic rei faciendo et debebat pecuniae suae parcere«.

Sed amita: »Hoc« inquit, »iam bene scio, quomodo pecuniae parcant alumni academici. Si nihil iam habent, iubent cauponem debita sua notare. Hoc nemo melius scit quam puella, cuius tres fratres student disciplinis cognoscendis. Dominus autem Iudex Officialis tantulum capillorum habet in capite, ut credam eum tempore studiorum certê laetê vixisse.«

Annula autem vociferata est: »O amita!« Mater mea autem vocavit: »O Frida!« At illa: »Quidnam« inquit, »reclamatis? Per iocum hoc dico, sed verum est calvescere homines vitam laetos degentes necnon bibulos.«

Cogitavi Steinbergerum stomachari. Sed îdem risit et dixit se iam saepe in hanc suspicionem venisse, sed aliquando cum in morbum incidisset, calvum factum esse.

Qui mox surrexit grapheum suum petiturus, et matris meae manum osculatus et coram amitâ dorsum declinavit meique auriculam laetê arripiens dixit: »Te geras decenter, si quidem hoc tibi contingat, latruncule!«

Annula eum comitata est usque ad ianuam domesticam; cum sôli essemus, mater mea dixit: »Eheu Frida, vera excetra es! Si ille nunc animo laeso est, numquam tibi ignoscam.«

Tum etiam Annula revênit et statim incidit in stibadium et flevit et dixit se credere Steinbergerum numquam venturum esse ad cafeam bibendam, nam eum multo prius solito abiisse.

Amita etiam pocillum cafeâm complevit et dixit se nullam umquam vidisse familiam nervis tam defectis instructam quam nostram, seque mirari nescientem, unde hic defectus exortus esset.

Tum cogitavi me quidem effecturum esse, ut illa lacrimaret, et celeriter exii. E conclavi meo mecum abstuli pulverem pyrium, et funiculum igniarium etiam habui, quia saepe non possum, quin in silvâ displodam fornicarium*.

Pulverem pyrium chartae involvi, cui infixi funiculum, et deinde inii conclave amitae omniaque imposui caveae. Funiculus tam longus fuit, ut arderet per quinque minutas, et ex caveâ dependebat.

Cum fasciculum pulvere pyrio completum imponerem caveae, psittacus in summam caveam nixus rostrum suum raptim aperuit et feliebat more cattaee.

Iterum in andronem egressus auscultando expertus sum, num quis venturus esset, sed magnum erat silentium.

Tum redii in conclave amitae et ramentum flammiferum accensum apposui funiculo. Statim fumavit. Psittacus nunc conto insidens capite semoto me observabat attentissimê. Unum oculum compressit, alterum horribiliter in me defixit. Funiculo incendiario fumante psittacus allapsus caput suum per cancellos caveae protendit et prospexit explorans, quid fumaret.

Cogitavi psittacum hoc mox sensurum esse et cito evasi, sed cum mediano appropinquarem, lentê ii et medianum quietê intravi, quasi nihil factum esset.

Annula adhuc flebat, mater mea erat facie rubrâ, amita cafeam bibebat. Puto eos non animadvertisse me abesse.

Amita modo dixerat se iam scire se non diligi a familiâ nostrâ, sed sic semper fratres gratias agere studiis universitariis finitis et pecuniâ totâ consumptâ; deinde istos sorores non iam curare.

Tum mater mea dixit patrem nostrum certê illam curasse et saepe dixisse se dolere, quod Frida nusquam posset manere propter sermones suos malevolos.

Hôc audito amita ligulam cafeariam in mensam proiecit et clamavit: »Si istud est verum, dixit improbissimum! En tantum mali fecisse sorori! Primo pecuniam dilapidasse et deinde ...«

»Pfff–uum!«

Subito fragor factus est fuscus, et puella coquinaria statim territa clamavit et properavit ad nos, et ianuâ apertâ terribiliter foetuit pulvis pyrius et andron plenus fuit fumi.

Oblîtus enim eram ianuam conclavis amitae claudere.

Puella vocavit aliquid esse displosum, sibi videri aliquid ardere. »Ubi? Ubi?« Annula clamavit.

»Per Dei voluntatem, ubi sunt siphonarii?« mater mea clamavit.

In andronem cucurrimus, ubi vidimus fumum venire ex conclavi amitae, et amita incurrens clamitavit, quasi verui affixa esset.

»Per Dei voluntatem, quid nunc factumst?« mater mea dixit, et infirmata non iam prodiit. Dixi me velle eam adiuvare et apud eam mansi. Annula iam revênit ex conclavi et vocavit: »Quiescas, Mammula! Nihil est afflictum nisi psittacus!« Tum amita ex conclavi rapidê evecta clamavit: »Quid dicis, *nihil nisi psittacus*? Tu crudelissima! Tu immanissima!«

Tum Annula: »Mammae« inquit, »dixi nullum esse incendium, ut quiesceret«.

»At bestiola nunc sedet in caveâ suâ pulvere pyrio aspersa et ista dicit nihil esse nisi psittacum! Tu crudelissima!« amita clamavit.

Mater mea: »Quiescas, Frida! Fortasse damnum non est nimis malum.«

»Vos omnes unâ colluditis!« amita clamavit, et deinde in me invecta etiam maiore voce clamavit: »Tu es interfector! Tu es interfector infamissimus!«

»Noli Ludovicum increpitare!« dixit mater mea. »Qui est prorsus innocentissimus; nam infuit conclavi suo.«

Ego dixi me iam consuetum habere, quod amita semper mihi culpam attribueret, et quia hoc mihi vehementer displiceret, me prorsus nihil iam dicturum esse. Me adhuc omnino nescire, quid factum esset.

»Tu hoc bene scis!« amita clamavit. »Tu hoc fecisti, nemo hoc fecit praeter te. Itaque tu puniendus es, etsi mater tua mihi supplicabit genibus flexis!«

Mater mea: »Nihil tibi supplico nisi ne tam vehementer clamites«.

Nunc nos etiam vênimus in conclave; fumus iam per fenestram evolaverat, sed adhuc foetebant pulvis pyrius et pennae combustae.

Psittacus autem sedebat in fundo caveae, sed neque iam erat coloris viridis neque rubri. Qui erat prorsus nigerrimus. Pennae caudales erant combustae et oculi erant tantae magnitudinis, quantaesunt oculi ululae. Psittacus erat perquam tranquillus meque aspectabat. Puto eum vehementer miratum esse de fragore dislosionis.

Mater mea dixit: »At is vivit! Certê reconvalescet«.

Amita autem clamavit: »Non in istâ domo!«. »In istâ domo immanissimâ miseram hanc bestiolam ne uno quidem die relinquam! Hodie iam abibo!«

Et profecto abiit.

Capitulum quartum decimum

De puellâ Indianâ



Subito *Cora* vênit ad nos, et ego de eâ sciveram prorsus nihil. Quae est filia avunculi *Iohannis*, qui vivit *Bombayae* in urbe, quia nihil didicerat et fugatus erat. Sed nunc habet multum pecuniae et plantationem theae, et in hamacâ¹ iacens huc illuc oscillatur, et servi debent ventilabro ventilare, ne musca advolet.

Cora statim mihi placuit. Quae est oculis nigris nigrisque capillis et ridet vehementer. Sed non ita ut *Rosa* filia amitae *Theresiae*, quae semper ôs obtegit manu, ne appareant dentes sui taeterrimi.

Cora cum veniret, manum meam comprehensam concussit, quasi esset puer, et matrem meam capite apprehenso dixit eam esse mulierem admirabilem, eamque osculata est.

Et *Annulae* dixit illam esse bellam puellam, et se ipsam, si esset vir iuvenis, futurum fuisse, ut vehementer peteret illam in matrimonium ducendam. Et mihi dixit me certê esse alumnum academicum studiosum et fore virum doctum, cuius naso esset perspicillum impositum. At tum *Cora* risit, quia mater mea gemuit. Equidem ei narravi me nequaquam esse studiosum, sed ita me gerere velle ut avunculum *Iohannem*, meque etiam velle ire in urbem *Bombayam* et tigrides sclopetare.

Tum illa dixit fortasse fieri posse, ut me illuc secum abduceret, sed mihi de hac re bene deliberandum esse, quia tigrides essent perquam periculosae. Tum ego dixi me elephanto insidentem sclopetaturum esse e sede supra sitâ, et tigris si fureret ferocissimê, posse devorare servos meos praetercurrentes.

Cora autem dixit hoc verum esse. Me esse catulastrum callidum, et oportere, ut abiturio superato in *Indiam* transirem.

Ego autem dixi me nolle tam diu exspectare, si quis *Indiam* peteret, ei non esse necessarium abiturium superare. In libris saepe lêgi puerum apoculare et in terrâ continenti peregrinâ ingentem accipere copiam pecuniae et Nativitate Domini domum reverti virum divitem. Me quoque hoc velle, ut deinde amita *Theresia* oculos raptim aperiret invidiosa et ut matri meae afferrem integrum vidulum pellium ferinarum plenum.

1 ***hamaca**, -ae f. theod. *Hängematte*. cfr Christian Helfer, *Lexicon Auxiliare*, 3. ed., Saarbrücken 1991, p.260 s.v. *Hängematte*: 1516, n. P. MARTYR.

Cora autem risit et dixit hoc mihi differendum esse, quia multa deberem discere, ut mater nostra gauderet etiam sine pelliis ferinis.

Semper apud Coram eram, quandocumque vacabam. Saepe ibamus ad plateam oppidi, quia ibi musici caneant omnesque homines circum silanum stabant aut ambulabant. Domini semper nos advenientes adspectabant curiosè, et provisor pharmacopolii adspectabat curiosissimè. Cui nomen est *Oscarius Seitz*. Hoc scio, quia amita Theresia permulta narrat de eo, nam amita credit eum velle Rosam in matrimonium ducere. Qui est in *Pharmacopolio Angelorum*, et mihi displicet, quia tam superbè se gerit, quandocumque emo saccharum ursinum. Cum puellae sunt in taberna, *Seitzius* cum istis garriens me sinit exspectare diutissimè, itaque aliquando indignatus nummis pulsans mensam venaliciam dixi: „*In istâ tabernulâ emptores ministrantur spurcissimè!*“ Tum ille dixit me esse puerum male môratum et impudentem seque mihi aliquando alapam esse ducturum. Tum ego dixi me questurum esse apud eius praeceptorem meque dolere, quod saccharum meum ursinum alicubi empturus essem. Tum illi ingratus factus sum. Hoc Corae narraui, et postea illo conspecto ea semper ridebat. *Seitzius* autem semper salutans oculos suos horribiliter aperiebat. Qui sunt maximè emissicii et tantâ viriditate, quantâ sunt oculi cattaë. Semper se convertebat ad nos semperque sic ibat, ut iterum nos praeteriret. Aliquando Cora me reliquit amicâ Annulae conspectâ. Tum *Seitzius* me accessit mihiq; blanditus est. Quaesivit autem ex me, quomodo se haberet mater mea. Ego dixi nos bene valere. Tum ille quaesivit, num quis nos visitaret, et num illa Domina reverâ ex Indiâ esset oriunda. Tum dixi illam esse ex Indiâ oriundam. Tum ille dixit hoc esse mirum auditu, et num illa diutius apud nos mansura esset et qui essent eius parentes.

Dixi eius attam esse avunculum *Iohannem*, qui mitteret integras naves theae plenas in Europam. Deinde *Seitzius* mihi manum dedit et dixit se mihi, si tabernam reviderem, donaturum esse saccharum ursinum. Dixi me fortasse venturum esse. Die Dominicâ ante meridiem apud nos tintinnabulum tinnivit et ianuâ apertâ apparuit *Seitzius* synthesisi vestium nigrâ flavisque chirothecis indutus. Îdem dixit se velle visitare matrem meam, quia eam non vidisset ex longo tempore. Eum duxi in conclave pulchrum, et mater mea gavisa est, quod ille tam urbanus esset, et conclave intravit et ego quoque intravi. *Seitzius* autem in stibadio consedit petasum tenens genibus impositum. Mater mea dixit pulchrum esse nobis ab illo honorem attribui, et quaesivit, ut ille valeret. Ille dixit se bene valere, sed sibi valdè laborandum esse, quia saepe homines nocte venirent ad medicamentum emendum, et mirum esse, quot morbi essent in oppido. Mater mea dixit hoc triste esse, sed se sperare aestate hanc rem meliorem fieri, quia homines illo tempore anni rarius contraherent perfrictionem. Ille dixit se hoc etiam sperare et deinde petasum suum manu tenens tam vehementer oscitavit, ut oculi sui umescerent. Tum dixit etiam aestate multos morbos esse eosque numquam finiri. *Seitzius* autem in conclavi huc illuc circumspectabat, quasi aliquem exspectaret, et mater mea quaesivit, num pharmacopola bene valeret. Illum bene valere, et nunc rus iter facturum esse. Mater autem dixit consentaneum esse, ut Dominus pharmacopola rus iret animo tranquillo, quia Dominus *Seitz* hîc maneret et negotia bene dispensaret. Se ex amitâ Theresiâ audivisse, quam probus esset Dominus Provisor. Is autem iterum petasum manu tenens oscitavit. Deinde autem quaesivit, ut valeret Dominula Annula.

Mater mea affabiliter ridens dixit se Deo gratias agere, quod filia sua bene se haberet eamque esse puellam sanissimam. Tum *Seitzius* dixit se iam nunc gaudere de hieme, quâ sibi liceret saltare cum illâ, et num illa fortasse iterum particeps fieret ballationis harmoniae. Mater mea dixit, si illo tempore adhuc viveret, se unâ cum Annulâ particeps fieret illius ballationis, et se dolere, quod Annula non esset domi; eam enim cum consobrinâ abiisse. Tum *Seitzius* quaesivit, quacum consobrinâ illa abiisset? Illam cum Dominulâ *Pfeiffer* abiisse mater mea dixit. Tum *Seitzius*: „Ah, ita“ inquit, „nonne est illa Domina peregrina?“ - Mater mea: „Ita, est illa puella Indiana.“ - *Seitzius* dixit se audisse de illâ, et dignum esse memoratu, nos visitari ab homine, qui venisset ex regione remotissimâ, seque, ut esset pharmacopola, valdê cupere Indiam pernoscere, quia pleraque medicamenta ex eâdem afferrentur. Mater mea dixit valdê dolendum esse, quod Cora non adesset, nam ea certo sciret Domino Provisori omnia narrare, quia ea esset puella eruditissima. *Seitzius* autem surrexit et dixit sibi nunc abeundum esse, sed Deo gratias agere, quod vidisset matrem meam esse valetudine prosperrimâ, et fortasse a se etiam occasionem inventum iri Dominulam neptem cognoscendi, quia homines nunc vespere calidis frequentarent hypogea cauponarum. Deinde abiit, et ante ianuam mihi dixit se sperare me mox venturum esse ad saccharum ursinum mecum auferendum.

Corae domum venienti statim narraui *Seitzium* adfuisse, et ea risit. Sed Cora mihi non dixit, quare rideret. Puto eam risisse, quia *Seitzius* est oculis tam viridibus eosque emittit in tantum spatii.

Postmeridiano tempore amita Theresia advênit unâ cum filiâ suâ Rosâ, et Iosephulus cum materterâ Elisabethâ. Unâ consedimus in trichilâ cafeam bibentes. Mater mea erat valdê hilaris, quia tot homines congregati erant, et Cora statim hirneâ sumptâ cafeam pocillis infudit. Ea ex avunculo Iosephulo quaesivit, utrum vellet cafeam albam an fuscam. Tum ille dixit se amare fuscam, et Coram aspexit et risit. At matertera Elisabetha pocillo abstracto dixit ei cafeam non statim esse bibendam, quia cafea esset nimis fervida. Mater mea autem risit et quaesivit, num illa vellet avunculum Iosephulum etiam fieri pulchriorem, quia dicitur is pulchrior fieri, qui bibat cafeam frigidam. Tum matertera Elisabetha erubuit et dixit maritum sibi esse satis pulchrum, neque esse necessarium, ut ille pulcher sit aliis hominibus. Cora autem, cum materteram Elisabetham adhuc ignoraret, putavit eam iocari et digito minata quaesivit, num fortasse matertera Elisabetha aemularetur, si avunculus Iosephulus etiam pulchrior fieret. Tum matertera Elisabetha dixit in Germaniâ homines non aemulari, quia mulieres in Germaniâ se gerent decorê. Hôc audito mater correxit calauticam suam. Hoc ea semper facit, si indignatur. Sed Cora simulavit se nihil animadvertere et cafeam infudit pocillo amitae Theresiae, et deinde voluit Rosae infundere. At Rosa celeriter manu pocillum obtexit et dixit se postea poturam esse et ipsam esse cafeam infusuram. Aliquamdiu nihil dictum est; avunculus Iosephulus manu circumvertebat pyxidem tabaci sternutatorii, et Rosa opere denticulato ex perulâ sumpto subito uncinulavit¹ cum studio ferventissimo, et

1 **Nadel** – **needle** – **aiguille** – **aguja** – **guglia** i.q. instrumentum fabrile tenue et longitudinale ex materiâ durâ fabricatum (prius ex ossibus, hodie plerumque metallo), apice finali instructum. Acus appellantur etiam aliae res, quae sensu laxissimo formâ et usu sunt simili. - **Acus** ***uncinulata** in parte finali instructa est uncinulis, quibus filum recipitur et per maculam trahitur. Cum verbum temporale uncinandi iam exstet (spectat ad pisces uncino capiendos), artem vestimenta acu uncinulata texendi ausim nomine novato appellare ***uncinulare**, artem autem substantivo verbali ***uncinulationem** (i.q. theod. häkeln, angl. to crochet, fr. faire du crochet, hisp. hacer ganchillo, ital. fare al uncinetto. Ut tria exempla fingam: Mater infanti iaculam *uncinulavit. - Filius dono accepit thoracem laneum *uncinulatum. Studentes in auditorio universitatis inter acroasin taedio audiendi affecti tibialia uncinulabant. Cara

amita Theresia acu pinxit², et matertera Elisabetha manibus supra ventrem complicatis huc illuc circumspexerat. Cora autem iuxta Annulam sedens eidem buccellatum in ôs ingessit, et deinde ambae hilariter riserunt. At matertera Elisabetha capite concusso avunculum Iosephulum aspexit, et deinde iterum caput concussit. Et amita Theresia acu acutextoriâ ex tibiali extractâ nasum titillavit et materteram Elisabetham aspexit, et deinde ambae simul caput concusserunt. Cora autem matris meae mento attacto: „*Mammula vetula*“ inquit, „*quidni bibis cafeam; quae est verê et genuinê Indica*“. Et matrem osculata est. Tum matertera Elisabetha etiam fortius caput concussit et amita Theresia dixit se mirari, quod mater mea non diligeret cafeam, quamvis alioquin tam vehementer et tantopere diligeret omnes res Indicas. Tum avunculus Iosephulus ausus est dicere cafeam esse excellentem, seque numquam bibisse tam bonam. Deinde matertera Elisabetha oculis ad maritum conversis dixit, si is maius salarium haberet, quam ut ipsa omnem teruncium respiceret, futurum fuisse, ut omni die haberent cafeam fabarum delicatissimam. Cora autem avunculo amicê arriso dixit eum, si attam suam Bombayae visitavisset, factum iri, ut biberet cafeam omnium optimam. Tum matertera Elisabetha iterum erubuit et dixit avunculum Iosephulum domi bene se habere neque ullo egere itinere. Amita autem Theresia capite terribiliter annuens acu acutextoriam inter dentes pupugit. Deinde autem perquam lentê dixit: „*Et inhabita terram et pasceris in divitiis eius!*“

Avunculus Iosephulus nihil dixit et tabaco sternutavit. At Cora haec leviter tulit et ex Rosâ quaesivit, quale opus faceret. Se uncinulare opertorium stibadii Rosa dixit neque suspexit. Tum Cora dixit nonne Rosa molestiâ temporis vexaretur tantum pannum uncinulans et nonne ea callidior esset, quae tale textile emeret pretio sat vili. At amita Theresia materteram Elisabetham aspectavit oculis dilatis et gemuit et deinde dixit puellas in Germaniâ debere facere opera utilia, neque omnes homines habere tantum pecuniae, ut omnia emerent. Tum Cora quoque paululum erubuit et quaesivit, num reverâ utile esset per dimidium annum laborem exanclare ad nihil accipiendum nisi opertorium stibadii.

Amita Theresia coepit limis oculis huc illuc spectare, et ego scivi eam nunc esse indignatissimam. Ea dixit procul dubio utilius esse puellas talia facere quam nihil. Fortasse apud Indianos hanc rem aliter fieri. Tum mater mea interlocuta est fieri posse, ut puella probissima esset, sed non uncinularet, et ut aliquae puella uncinularet, sed non esset proba. Tum Cora hilariter risit et dixit matrem meam esse mulierem excellentem, et se etiam allaturam esse opus manuale, ut amitae et materterae praeberet aspectum satis probum. Deinde surrexit et Annula cum eâ abiit. Cum abiissent, mater mea calauticam suam etiam firmiter affixit et dixit se non intellegere, quonam modo fieret, ut aliquis se tam indecenter gereret. Tum matertera Elisabetha interrogavit: »*Quis?*«. Mater mea: »*Vos ambae*«. Tum amita Theresia risit, quasi esset exhilaratissima, et matertera Elisabetha est vociferata: »*Ah, tu es bellissima!*« Et Rosa furtim cachinnavit, ut apparerent dentes eius sordidi. Matertera Elisabetha iterum est vociferata: »*Tu verê es bellissima!*« Et amita Theresia dixit: »*Noli stomachari, Elisabetha, oportet credamus istam puellam Indianam esse veram margaritam.*«

»*Quid illa vobis fecit?*« mater mea interrogavit. »*Num vos verbis laesit?*«

Lectrix, care Lector, quid tibi videtur de hoc verbo novato deque sententiolis exemplaribus? Placentne?

2 **acū pingere**, i.q. theod. *sticken*. Cave ne confundas cum actione acu *texendi*: **acū texere** est i.q. theod. *stricken*.

»*Hoc ne faciat isti bene suadeam*«, amita Theresia dixit terribiliter limis oculis huc illuc spectans et acum suam acutextoriam in glomus lanae pungens, quasi glomus esset hostis suus. Et matertera Elisabetha dixit: »*Quonam modo ista puella se gerit?*«

»*Ea se gerit decentissimê*«, mater mea dixit. Tum matertera Elisabetha ligulam cafeariam in mensam iaculata quaesivit, num fortasse esset moris urbani puellam oculos suos iactare circa senes, qui numquam fierent sapientes, et num fortasse decôrûm esset virum instigare contra cafeam quae ei domi praeberetur?

Et amita Theresia dixit se Rosae suae non permittere, ut nimium conversaretur cum istâ Dominulâ exoticâ.

Mater mea vultu fuit perquam obstupefacto. Quae non intellegit, cur omnes Corae tam vehementer irascantur. Ea gavisâ est, quod in Germaniam vênit, sed nunc cognati ei maledicunt. Matertera Elisabetha dixit, si quis non esset caecus, ipso aspectu iam videre istam puellam non esse educatam. Cora istam post tres demum septimanas visitavit et cum ibi esset, prorsus indecenter risit de cane quodam fricatore imbalsamato³, qui stabat in mediano, et postea non iam istam visitavit, sed quidam vir, qui numquam fit sapiens, nunc sentit catulum imbalsamatum esse taediosum, neque iam vult cafeam, sed matertera non vult permittere, ut maritus incidat in amorem puellae alienae.

Amita Theresa tam fortiter acubus textit, ut acûs crepitarent, et dixit Coram cum iuvenibus conversantem se gerere more infami. Fortasse tales mores esse solitos Bombayae, sed non hîc in oppidulo *Weilbach*, ubi mulieres adhuc se gererent decenter, ceterum istam non gerere thoracium⁴.

Rosa caput tantopere retraxit, quasi se puderet cognatae, neque ulla vidit in loco postico iuxta saepimentum *Seitzium* pharmacopolam versantem. Ille enim ibi stabat et iterum iterumque salutabat, sed ego studiosê simulabam me illum ignorare. Tum abiit, sed iterum iterumque se convertebat. Cum îdem abiisset, amita Theresia loqui non desinens dixit omnes oppidanos animadvertisse, quomodo nuper Cora arrisisset Domino Provisorio *Seitzio*. Eadem putat Provisorem omnino nescire, talis mos quid valeat. Tum dixi fortasse *Seitzium* eâ de causâ apud saepimentum stetisse, ut hic mos explicaretur. Hôc audito Rosa capite erecto quaesivit: „*Quis fuit ad saepimentum?*“ Tum ego: „*Seitzius ille*“ inquam, „*qui est oculis viridibus.*“ - „*Mentitur iste puer male moratus*“, amita Theresia vocavit. „*Ego non mentior*“ dixi, „*Seitzius semper ibi stetit et petasum suum huc illuc movebat, sed nemo ad illum attendit; deinde abiit.*“

Rosa in me invecta dixit, cur nil dixissem. „*Quia*“ inquam, „*matertera locuta est et non licet sermonem interrumpere hominum aetate provectorum*“. Tum istae torvum mihi reniduerunt, et amita Theresia ex matre meâ quaesivit, nonne me vellet vituperare, quia, si Provisor esset laesus, hoc factum esset meâ culpâ.

3 **canis fricâtor +imbalsamâtus** – orig. *ausgestopfter Mops*; angl. *stuffed pug-dog*; fr. *carlin empaillé*; hisp. *doguillo/carlino relleno*; ital. *carlino impagliato, imbalsamato*.

cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/IMBALSAMARE>: „**IMBALSAMARE**, Vox Italica, Gallis, *Embaumer*, Corpus mortui *balsamo* aliisque bonis odoribus condire. Memoriale Potestatum Regiens. ad ann. 1272: Obiit Rex Heuzus... et sepultus fuit ad Ecclesiam FF. Prædicatorum, et fecit Commune Bononiæ eum Imbalsamari...“

4 **thōrācium**, -ī n. orig. *Korsett*. cfr Forcellini: <http://lexica.linguax.com/forc2.php?searchedLG=thoracium>: „**THŌRĀCIUM**, īi, n. 2. *deminut. a thorax*, ut θωράκιον a θώραξ. ¶ 1. Est parvus thorax. *Ampel.* 8. Sicyone in Achaia sunt posita Ulyssis chlamys et thoracium. ¶ 2. **Item parva fascia pectoralis seu sagulum, stomachino, corpetto, farsetto, giubbettino. Lucil. 2. Sat. 26. ricæ, thoracia, mitrae.** ¶ 3. In re nautica esse id, quod Italice *cassa delle pulegge* dicitur, tradit cl. *Guglielmotti, Di due Navi Rom.* etc., sed nullo classicae Latinitatis auctore laudato“.

Tum mater mea: „*Verum est*“ inquit, „*Ludovice, oportet, ut proximâ vice nos moneas.*“

„*Proximâ vice!*“ clamavit matertera. „*Num tu credis virum tantae auctoritatis, quantae est Dominus Seitz, talem rem patitur?*“

Tum mater mea: „*Dominus Seitz*“ inquit, „*certo scit me nolle se laedere. Qui hodie fuit apud nos, et cum eo bene collocuti sumus*“. – Amita autem: „*Quis*“ inquit „*fuit apud te?*“ - „*Dominus Provisor Seitz; qui nos visitavit.*“ Hôc audito Rosa oculis raptim apertis amitam aspectavit. Tum ego studiosê affirmavi *Seitzium* mihi pollicitum esse saccharum ursinum, quia ei narravissem de Corâ.

Tum Rosa tam vehementer prosiluit, ut pocillum inverteret, et opus suum uncinulandi iniecit in perulam suam vellutinum et dixit se non iam manere. Et amita Theresia etiam tibiale suum perulae imposuit, et rebus confectis matri meae dixit improbissimam esse eam iam pridem aetate proveciorem adhuc insidias parare.

Tum mater mea prorsus obstupefacta: „*Quasnam insidias?*“ At amita Theresia dixit, utinam Deus averteret, ne mater mea simularet se esse innocentem, et eam visuram esse, num gratias acceptura esset ab istâ Indianâ. Deinde illae abierunt. Cora autem modo vênit cum opertorio, quod saepius acu pingebat. At istae Coram praetereuntes simulaverunt se nihil videre. Cora interrogavit, quidnam factum esset. Tum mater: „*Equidem nescio*“ inquit, „*Scisne tu, Elisabetha?*“ At matertera Elisabetha surrexit et: „*Videntur varia et dicitur nihil, et multa possunt dici, sed malunt reticere.*“ Eadem avunculo Iosephulo annuit, ut deberet secum abire, et ille pyxidem tabaci sacco indidit et materteram secutus est. Cum ea avunculum non aspectaret, caput convertit, sed cum matertera tamen etiam hoc videret, avunculus debuit eam praeire.

Mater mea autem in sellâ considens caput concutiebat. Nam nescivit, quare amita atque matertera indignentur. At ego hoc scio: quae stomachantur, quod Seitzius oculos suos non tantopere emittit Rosam aspectans quantopere Coram.



LUDOVICUS EIUSQUE MATER

Capitulum quintum decimum

De Francisco et Corâ



Franciscum Reiserum vehementer diligo. Qui versatur in bracinâ¹ *Kollerianâ*, ut videat, quomodo cervesia braciatur, quia eius pater etiam habet bracinam. *Franciscus* mihi narravit se domi venari, se mihi permissurum esse, ut apud se sclopetarem. Qui habitat iuxta nos, et saepe inter nos convenimus ad saepimentum hortense. Qui me sinit sigarum² suum fumare et vehementer ridet, cum sibi narro me alicui dolum nexisse, et dicit non aequum esse aliquem nostrum sustinere molestias sibi a professore paratas.

Franciscus est robustus et potest in altum salire, et bene scit palaestrare³. Vidi eum cum iuvenibus braciatoribus luctantem omnes superasse. Prius is aliquoties in septimanâ sibilavit, ut irem ad se, sed nunc omni die venit ad saepimentum hortense, ut secum colloquar. Prius saepe collaris expers ambulabat manicis camisiae non restrictis, sed nunc semper collari est instructus. Nec tam hilaris est quam antea. Prius mihi saepe demonstravit, quomodo manibus sciat progredi, et imitatus est *Elisam* amitam meam, quae unum tantum habet dentem, et dedit mihi ranam displosivam⁴, ut aliquo loco curarem displosivam.

At nunc non iam imitatur amitam, et si volo habere ranam displosivam, *Franciscus* dicit non oportere, ut tales ranae diplodantur. Nam si crepitent, fortasse aliquem terreri. Itaque miratus sum.

Ei narravi me fortasse debere hunc annum scholarem repetere, tum *Franciscus* dixit hoc dolendum esse propter matrem meam, et mihi studendum esse, ut annum superarem. Ego dixi me hoc non flocci facere, quia non iam vellem discere. Ille autem capite concusso dixit me hanc rem parum intellexerem, alioquin futurum fuisse, ut discerem vehementissimê.

„Quare?“ interrogavi.

1 **+bracīna**, -ae f. orig. *Brauerei*. - **+braciō**, -āre orig. *brauen*. - **+braciātor**, -ōris m. orig. *Brauer*.

2 ***sigarum**, -ī n. orig. *Zigarre*.

3 **palaestrō**, -āre orig. *turnen*.

4 **rāna *displōsīva** orig. *Knallfrosch*.

Tum ille: „Quia“ inquit, „homines non eruditi non respiciuntur. Nisi quis in gymnasio fuit, et fortasse tantummodo in bracinâ operatur, clarê animadvertet se minoris fieri neque respici a puellis.“

Equidem dixi puellas ipsas nihil discere.



ECCE BRACIATORES A.1926 DE ARTE SUA GLORIANTES

Tum ille: „Puellae“ inquit „hoc facere non debent; eaedem enim si bellae sunt et clavili sciunt modulari, haec suffiunt. At vir, qui non studuit rebus cognoscendis, nihili aestimatur.“

Franciscus fuit tristissimus, et deinde ex me quaesivit, quonam modo se haberet *Dominula Cora*.

Coram sat bene se habere ego respondi.

Nonne illa de se loqueretur, ex me quaesivit.

Ego ei dixi illam loqui quidem de eo, sed non multum.

Tum quaesivit, num illa dixisset res iucundas de se. Ego dixi me non iam satis certê hoc scire. Semel illam ex me quaesivit, num fortasse *Dominus Reiser* cervesiam conficeret, quam biberemus, sed illo vespere cervesia non fuit bona. Sed num illa praeterea aliquid dixisset, me nescire.

Tum *Franciscus* iterum fuit tristis et caput concussit, et dixit se non credere illam praeterea aliquid dicere de se, nam illam opinari se nihil scire nisi fortasse cervesiam braciare. Et illam se minoris aestimare, quia non in gymnasio fuisset. Et deinde mihi dixit, ut bene attenderem, quidnam *Cora* diceret de se; et tum abiit.

Ego cogitavi eum mihi adiuvandum esse, quia diligerem, et in cenâ vespertinâ iterum de hac re cogitavi. Comêdimus pernam et acetaria, quia infuerunt ova dura, et cervesia fuit valdê recens. Mater mea eam laudavit et dixit se iam per totum diem gavisam esse, quod potura esset quadrans litrae cervesiae, et eandem supersapere. Tum ex eâ quaesivi, num oporteret revereri aliquem bonam cervesiam fabricantem. Mater mea dixit oportere, ut revereremur omnem hominem, qui calleret

professionem suam. Quaesivi, num ea sentiret fortasse professorem plura callere quam aliquem bonam cervesiam fabricantem. Non posse comparari ea dixit, et ubi Carus Deus aliquem collocaret, ibi eundem debere officium suum explere. Hoc maximê valet. Ego dixi, si Carus Deus aliquem loco collocaret, ubi cervesiam fabricaret, quid esset, cur homines crederent professorem pluris valere, quia fuisset in gymnasio? Tum Cora risit vehementissimê, et dixit, me subito factum esse iuvenem cogitandum et se suspicari me velle nunc cervesiam fabricare.

Tum mater mea vocavit: „*Per Dei voluntatem, Ludovice, num cogitas te guminasium relicturum esse?*“

Me hoc non cogitare dixi, sed quid matrem tantopere terreri abeundo? Si Carus Deus me aliquo loco collocare vellet, oportere, ut explerem officium meum.

Tum mater mea dixit non Carum Deum hoc velle, sed meam pigritiam.

Dixi me nequaquam velle abire. Sed nunc patêre eos nihil revereri nisi gymnasium.

Cora autem iterum risit, iterumque dixit fortasse considerationes meas effectas esse a Domino Reiser, quia nunc toties versarer apud illum.

Deinde irâ incensus sum. Tum ego: „*Ille*“ inquam, „*nullam culpam contraxit. Qui semper dicit mihi esse discendum, quia alioquin nullam auctoritatem assequeretur, sed ego eum consolatus sum*“.

Cora autem: „*Quonam modo*“ inquit „*hoc fecisti?*“.

Ego autem: Ei dixi: „*Illi dixi puellas solâ hac de causâ credere gymnasium esse res magni momenti, quâ ipsae nihil discerent.*“

Tum mater mea rogavit: „*De quibus puellis loqueris?*“.

Tum ego: „*Loquor*“ inquam, „*de omnibus puellis, quia omnes inter se sunt pares. Quae putant omnem hominem perspicillo instructum esse prudentem*“.

Deinde mater mea quaesivit: „*Quid tu scis de puellis? Quonam modo tu, quâ es aetate, habes tales sermones?*“.

Sed Cora manu matris palpatâ: „*Mammula*“ inquit „*noli Ludovico indignari. Qui paululo tantum severê iudicat de nobis puellis.*“ Deinde Annulae annictans ea risit vehementissimê. Cora autem mihi bonam noctem optanti perquam cômiter dixit se non posse, quin mihi secretum panderet. Ad ianuam mihi perquam submissê in aurem susurravit, ut Domino Reisero dicerem ei perspicillum esse emendum, nam sine perspicillo eum non posse placere alicui puellae. At ego non credo eam hoc serio dixisse, cum in scalis audiverim *Coram* et *Annulam* furtim cachinnantes. Postridie denuo adii saepimentum hortense, et Franciscus iam adfuit. Qui ex me quaesivit, num fecissem pensa mea domestica. Quamquam eadem nondum feceram, affirmavi. Deinde ille pollice domum nostram indicans quaesivit, num sermo incidisset de se. Narravi ei me eius causâ rixatum esse et *Coram* dixisse ei esse perspicillum emendum. Tum Franciscus iterum fuit tristissimus et dixit se ab illâ irrideri. Tum ego ei dixi, ne istud flocci faceret; mihi *Coram* placere, quia hilaris esset, sed si illa vellet irridere, me statim illi demonstrare verum virum non curare verba puellarum. At Franciscus caput concutiens dixit se de illâ aliter sentire ideoque esse tristissimum; quod ego nondum intellego, sed sentio Franciscum incidisse in magnam miseriam. Dixi me velle scire, cur omnes gement de Corâ loquentes.

„*Qui omnes?*“ ille rogavit celeriter.

„*In pharmacopolio*“ dixi „*Seitzius alterque provisor ex me iterum iterumque quaerunt aliquid emente, ut illa valeat, et dicunt, ut se commendarem Dominulae, et ita se gerunt, quasi sit lacrimaturi.*“

Tum Franciscus digito domum nostram indicavit et quaesivit, quid Cora diceret a me de illis certior facta.

Dixi Coram ridere.

Num ea ridendo patefaceret se gaudere.

Dixi me hoc nescire.

Tum Franciscus dixit Coram fortasse gaudere, quia *Seitz* studisset rebus cognoscendis; at illum nihil esse nisi miserculum myropolam, et pedibus esse incurvis et esse hominem stultum, quem oporteret mulcare vehementissimê, quia esset tantâ arrogantîâ vanissimâ.

Ego autem quaesivi, num quid mali *Seitzius* Francisco fecisset, quia esset tantâ irâ incensus.

Franciscus dixit illum sibi nihil mali fecisse, sed se illius taedere, et ego ne pergerem Coram ab isto salutare.

Et deinde îdem abiit iterum iterumque baculum per aëra tam vehementer agitans, ut sibilus audiretur. Inter cenam *Annula* ex me quaesivit, num hodie contentior essem, numque non iam tam severê iudicarem de puellis. Me non curare puellas dixi; si qui puer curaret puellas, nil ei fieri nisi molestias, eumque vehementer contristari.

Sed mater mea fuscinulâ sepositâ me aspecto dixit mira esse, quae ego loquerer ex nonnullis diebus. Cora autem dixit se timere, ne fierem misogynus, quia semper essem parum propitius, quamquam se prius mente fixisse me esse sui defensorem.

At ego dixi puellas saepe multa mente fingere.

Tum omnes riserunt, sed postea mater mea dixit se non permittere, ut erga Coram me male gererem.

Cora autem: „*Ludovicus*“ inquit, „*haud male se gerit; sed oportet nos studeamus, ut eius favorem recuperemus. Qui est unicus vir unâ cum tribus entibus femininis, similiter res se habet ac in palatiis Indorum principum, ubi Dominae etiam aegrê id assequuntur, ut princeps sibi sit propitius.*“

Volui aliquid dicere, sed subito ante domum nostram audivi cantilenam. Mater mea et *Cora* et *Annula* ad fenestram cucurrerunt, et ego quoque conspexi deorsum. Infra stabant quattuor viri cantantes. *Seitzium* statim agnoveram et *Knillingium* magistrum, et unus ex iis fuit expeditor cursualis.

Idem cantaverunt: „*Ah, quomodo potest fieri, ut te relinquam!*“ Unus cantilenam primo cantavit voce altâ, deinde alter voce bassâ, tum tertius voce altissimâ necnon tremulâ. Is fuit *Seitzius*.

Mater mea semper dicebat: „*O liberi mei, quam pulchrê illi cantant!*“

Et ea *Annulae* atque *Corae* monstravit lunam splendentem, et perquam tristis capite annuit *Seitzio* tam tremulê cantanti. Et *Annulam* osculata est et *Corae* genam palpavit, et cum illi infra stantes cantare finivissent, mater mea denuo dixit illos pulcherrimê cantasse et nobis favorem conciliasse blandissimum.

Cora risit et dixit se hoc scripturam esse patri suo, adhuc fieri nostrae matris causâ cantiunculas amatorias. Mater autem mea etiam ridens dixit se putare hanc cantiunculam factam esse in honorem *Principissae nostrae Hindianaë*. Tum viri infra stantes magnâ voce screaverunt et iterum coeperunt cantare. Nunc cantaverunt: „*Annula Toruvana est illa, quae mihi placet,*“ et *Seitzius* non iam cantavit voce tam tremulâ, sed nunc *Knillingius*. Mater mea caput suum umeris *Annulae* imposuit et palulum flevit.

Re transactâ Seitzius petaso suo salutavit, et ceteri etiam salutaverunt, et abierunt. At ad puteum constiterunt et cantaverunt „*Bene door-mii*“. Primo unus cantavit voce bassâ, deinde cantaverunt vocibus etiam etiamque altioribus, et denique nemo cantavit nisi *Seitzius*, isque voce maximâ et tremulâ. Deinde obmutuerunt. Nihil auditum est nisi silani strepitus submissus, et mater mea dixit oportere, ut audiremus aquam strepentem et spectaremus lunam splendentem, quia haec essent perquam poetica.

Cora quaesivit, qui fuissent cantores. Tum ego dixi unum ex illis fuisse *Seitzium*, qui instructus esset calvitio et oculis globosis. Tum mater mea dixit se dolere, quod denuo videret me loqui indecenter, et illos certê esse quattuor iuvenes bene eruditos, quibus nos deberemus delectamentum. Deinde cubitum iimus, et mater mea *Annulae* dixit: „*Bonam noctem, Annula Toruvana!*“ et bis eam osculata est.

Postridie cum institutione scholari finitâ domum venirem, Franciscus Reiser iam sibilavit ut ad se venirem. Statim ii in hortum nostrum, sed Franciscus mihi dixit oportere, ut statim per saepimentum reperem ad se, quia mihi aliquid secreti dicturus esset. Cum per saepimentum repsissem, unâ iimus post acervum cremiorum, ut lateremus.

Franciscus autem oculis fuit tam tumidis, ut videretur flevisse, et manicis camisiae fuit non restrictis neque gessit collare. Qui incubuit graminibus, et ego quoque incubui. Franciscus iterum iterumque fasciculos graminum extractos abiciebat. Subito quaesivit, num cantum audivissem. Dixi me eundem audivisse, quia îdem factus esset apud nos. Quaesivit, num *Seitzium* agnovissem. Dixi me statim illum agnovisse. Tum Franciscus dixit illum statim agnosci propter pedes incurvos, et num ceteri quoque illum agnovissent? Ego autem ex eo quaesivi, de quibus ceteris loqueretur? Is pollice indicans dixit: „*Mater tua tuaque soror.*“ Ego dixi: „*Scilicet illas Seitzium agnoverunt.*“

„*Etiam Dominula Cora?*“ Franciscus quaesivit.

„*Etiam Cora!*“ dixi.

Ille multum graminis excerptum abiecit et deinde quaesivit, num mulieribus cantio placuisset.

„*Matri meae*“ inquam, „*illud bene placuit, quia tam poeticum fuit audire silanum submissê strepentem*“.

Tum *Franciscus*: „*Inurbanissimum est*“ inquit, „*homines perturbare, qui cupiant dormire. Istud nequaquam est poeticum.*“ Iterum obmutuit et gramina evulsit, et deinde quaesivit, num etiam *Cora* istam cantionem laudavisset. Ego dixi illam non laudasse, sed me putare cantionem *Corae* placuisse. At *Franciscus* ex acervo lignorum baculum traxit et dixit se tali fuste mulcaturum esse *Seitzium*, si iste iterum cantavisset.

Ego risi, quia mente confinxi, quonam modo fieri posset, ut *Seitzius* voce tremulâ cantaret et subito *Franciscus* fustem suum capiti istius impingeret.

At *Franciscus* non risit. Qui conversus facie suâ graminibus ingestâ subito lacrimavit vehementissimê. Ego autem prorsus inscius, curnam hoc faceret, ex eo quaesivi. At is capite concusso singultavit et fuste humum pulsavit. Et deinde facie ex graminibus elatâ manicâ oculos detersit. Tum iterum ex eo quaesivi. *Franciscus* autem respondit me hoc non intellegere. Ego dixi me hoc certê intellegere eique affuturum esse, si fortasse ei aliquid mali fecisset. Et dixi *Francisco* me eum

diligere, sed *Seitzium* omnino non diligere. Tum *Franciscus* dixit me fortasse unicum esse, quicum de hac re colloqui posset, et se *Coram* diligere vehementissimê. Ego dixi me quoque illam diligere, sed quare is tam vehementer lacrimaret et humum fuste pulsaret?

Tum *Franciscus* dixit se illam omnino alio modo diligere quam me, et se exoptare, ut illa fieret uxor sua.

Ego rogavi, quidni is in domum iret et hoc diceret? Tum *Franciscus* dixit hoc non decere.

Ego autem dixi hoc certê decere. Ut vestem nigram indueret et in domum iret. Primo matrem meam solam adesse. Deinde *Coram* introire iuberi, et ab eo brachium puellae circumponendum esse, et tum Annulam meque arcessi, et matrem meam paululum flere, et deinde matrem unam post aliam osculari.

At *Franciscus* iterum caput concussit.

Tum ego dixi me haec certê scire. Nam sic facta esse illo tempore, quo *Bindinger* Mariam nostram petivisset in matrimonium dicendam.

At *Franciscus* dixit haec fieri non posse, quia ipse nihil valeret et postea nihil accepturum esse nisi bracinam et se scire se non diligi a *Corâ*, quia parum eruditus esset.

Ego dixi me credere *Coram* gaudere, quod ab eo diligeretur, quia puellae gauderent, si diligerentur.

At ille dixit *Coram* non gaudere. Se clarê sentire se ab illâ parum magni aestimari, quia non studuisset disciplinae cognoscendae, ideoque illam se omnino non aspicere. Ego dixi me velle illam rogare; fortasse hodie inter cenam. Tum *Franciscus* vocavit, ne hoc facerem. Se ipsum puellae hoc dicturum esse. Ex eo quaesivi, num ipso hâc die esset dicturus. Et *Franciscus* dixit non multum temporis restare, usque dum quaereret; fortasse iam hâc ipso die. Si *Cora* sôla fuisset, se aditurum esse remque puellae dicturum. Se hanc rem non iam pati posse, quia non iam posset dormire neque comedere neque bibere. Heri non multum afuisse, quin ex fenestrâ prosiliret *Seitzium* audiens. Dixit cum ipse numquam ausus esset *Coram* alloqui, istum pharmacopolam taediosissimum ausum esse tam apertê cantare, ut omnes homines animadverterent. At nunc se ipsum etiam non iam esse tam verecundum, et si *Coram* vidisset, se illam aditurum esse et dicturum esse, quid sentiret. Cum puella istum *Seitzium* curvipedem cantare permississet, quidni permetteret, ut ipse se alloqueretur. Se non iam velle exspectare.

Ego quaesivi, cur illam diligeret, quam non vidisset nisi ex longinquo. *Franciscus* autem dixit sic semper fieri, sed ego hoc non intellego.

Colloqui perreximus, sed subito aliquis me vocavit et *Franciscus* est prorsus territus. Nam vocem audivit *Corae*. Ex acervo prospeximus et vidimus *Coram* in horto nostro stantem et nomen meum vocantem. *Franciscus* autem perquam submissê dixit ne responderem et ut nunc apud se manerem, alioquin illam animadversuram esse se quoque adesse. Ego dixi, ut illam adiret et diceret illud, quia illa nunc sôla esset.

Franciscus autem dixit hoc non decere, quia non indutus esset collari, et ut essem quietissimus, ne quid illa animadverteret. Proni iacebamus capitibus cautê erectis. *Cora* autem circumspiciebat ubique, iterumque vocavit; deinde iit ad ostium horti, et scivi eam nunc in parte horti posticâ ambulaturam, ut nos praeteriret. Rapidê hoc dixi *Francisco*, et repsimus ad latus acervi lignorum alterum, cum *Cora* modo saepimentum praeteriret. Quae nihil animadvertens laetê cantabat.

Cum puella praeterisset, Franciscus surrexit et ego quoque surrexi. Ambo Coram diu aspectavimus, quia veste albâ induta cantabat cantilenam. Franciscus acervum lignorum ascendit, ut illum aspectaret quam diutissimê. Ego ex eo quaesivi, quidni quam celerrimê collare afferret, ut posset eodem indutus illam assequi. At Franciscus dixit se eo die hoc non facere posse, sed puellae rem dicturum esse postridie. At ego nunc credo eum Corae hanc rem esse dicturum numquam.



LUDOVICUS EIUSQUE MATER

**FABULAM ROMANICAM
A LUDOVICO THOMA SCRIPTAM,
C.T.**

NARRATIUNCULAE PUERI MALE MORATI

(Lausbubengeschichten)

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

(Desunt 3 capitula. Translatio operis mox perficietur)

Quelle: Ludwig Thoma: Gesammelte Werke in sechs Bänden. Band 4, München 1968
Permalink: <http://www.zeno.org/nid/20005782872>